



Stochflecke

G. J. 1700

Thes. P. VIII. 367 641.



DISPUTATIO THEOLOGICA

De

CIRCUMCISIO.  
NE IMMANUELIS NOSTRI,  
EJUSQUE DULCISSIMO NO-  
MINE JESU.

Ex 2. Lucæ vers. 21.

*Quam cum novo anno*

ANNUENTE ALTISSIMO,

P R Æ S I D E

DN. JOHANNES GERHARDO  
DOCTORE ET PROFESSORE THEOLOGO,  
ac p. t. Academiæ RECTORE Magnifico, Præceptore  
& Fautore suo æternùm honorando.

*Publicè ventilandam proponit*

BERNHARDUS DERSCHOW,  
REGIOMONTANUS BORUSSUS.

*Ad 2. Januar. diem, in Auditorio majori,  
horis à septima matutinis.*

*Psal. 95. 6. 1.*

IVbILeMV's Deo saLVtarI nostro.

J E N Æ

Typis TOBIÆ STEINMANNI.





V I R O

*Verè Magnifico, Nobilissimo & Eminentissimo*

DOMINO

ANDREÆ A KREUTZEN,  
Ducatus Borussiae Consi-  
liario Provinciali dignissimo, & Præ-  
fecto Fischusienfi optimè  
merito.

*Domino Meccœnati & Patrono suo reverenter  
& officiosè colendo.*

Hoc operarum Academicarum Theologicum γύμνασιον  
in felix novi anni auspiciis, grati animi & observantiæ  
minimæ fucatæ symbolum.

*Offert & consecrat*

BERNHARDUS DERSCHOV  
AUTOR & RESP.





ΕΜΝΟΥ

THESIS I.



Non minùs verè quàm scitè scribit D. Am- *Προοίμιον*  
brosius super cap. 2. Luc. Lucas satis se divitem fo-

re credidit, si præsepe & cunas Domini sibi ex omni-  
bus vendicaret. Nam revera si ullus inter Evan-  
gelistas præsepia, hoc est, infantiam & puerilem  
Christi ætatem plenè pertexuit, sanè is est Evan-

gelista Lucas, qui in scribendo *ἀναθεν το ἀντι ἀγγελῶς περιηκολόθηκε*, ut ipse  
loquitur in Exordio sui Evangelii. Postquam enim cap. 1. præcur-  
soris Domini nativatem secundùm omnes circumstantias reci-  
tasset, ibidemq; ad annunciationem Angelicam Redemptoris ac  
Mediatoris nostri JESU CHRISTI factam conceptionem in ute-  
ro Mariæ Virginis explicuisset, statim in subsequenti cap. 2. ful-  
gentissimi illius Solis ortum & è thalamo suo processum, vitam  
quoque reliquam ad annum usque duodecimum nobis scriptum  
reliquit.

II.

Sunt autem quatuor potissimùm hujus secundi capitis mem-  
bra. Primum agit de ipsa nativitate Christi, quando nempe, ubi,  
quibusq; circumstantiis aliis Messias in hunc mundum à Deipara  
Virgine natus sit, & quomodo adhuc eadem nocte à choro cœlesti  
& pastoribus, quibus hoc novum gaudium ab Angelis annuncia-  
batur, celebratus sit. Alterum, Evangelii narrationem ordine  
persequitur, & quid puero octavo nativitatis die acciderit, enar-  
rat. Tertium, historiam Purificationis Mariæ & præsentatio-  
nem Pueri JESU in templo, item, historiam Simeonis & Annæ  
Prophetissæ describit. Quartum & ultimum vitam Christi à  
quinto ætatis anno, quo cum Josepho & matre ex Ægypto in Ga-  
lilaam reversus est, usq; ad annum trigesimum exponit.

*Argumentū  
& distributio  
cap. 2. Luc.*

III.

Nos missis primo, tertio & quarto, quæ aliud tempus &  
otium





Partes Evan-  
gelii.

otium requirunt, nunc tantum secundum consolationis & doctrinae plenissimum ex d. cap. versic. 21. membrum tractandum assumemus, quod per hosce dies Ecclesia Christiana novum annum incipiens pie meditari solet, agitq; 1. de Circumcisione, quam puer octo dierum Dei & Mariae Filius secundum mandatum divinum Abrahæ & posteris ejus traditum in carne sua suscepit. 2. De dulcissimo nomine JESU in ipsa circumcisione Puero imposito. Quæ ut rectiori ordine fiant, totum nostrum discursum in 4. redigemus capita:

Primum continebit brevem Evangelii in festo Circumcisionis Christi, seu vers. 21. ex 2. cap. Lucae *ἀνάλυσιν.*

Secundum, quaestionum è textu fluentium *διασάφισιν.*

Tertium, usus contra Hæreticos *ἐνδύλωσιν.*

Quartum, abusus adversariorum *ἐπίλωσιν.*

Votum.

Tu verò benignissime JESU, cum novo anno accende novam lucem in mente, novam obœdientiam in corde. Da nobis intelligendi acumen, interpretandi subtilitatem, addiscendi facilitatem, retinendi capacitatem. Aufer nos nobis, & redde nos Tibi, & salvæ erimus omni vitæ tempore.

IV.

## CAPUT PRIMUM.

*Ανάλυσιν* textus Græci.

*Καὶ ὅτε ἐπλήθησαν ἡμέραι ὀκτώ, Et postquam consummati sunt dies octo.* Temporis hîc circumstantiam in Circumcisionis Dominicæ historia primum exprimit Evangelista, & quando illa sit peracta, describit, nempe *post consumptos octo dies, subaudi, à Christi nativitate.* Hic enim dies à Deo ordinatus fuit ad infantes masculos in carne circumcidendos, *Gen. 17. v. 12. Levit. 12. v. 2.* Et hoc est, quod illa particula *Καὶ* ab initio posita notat, quâ Circumcisionis descriptio cum historia nativitatis, Christi videlicet, immediatè connectitur. Quo simul docemur cultum Dei præcisè juxta tenorem mandati divini peragendum, nec quicquam in eo ex nostro arbitrio immutandum esse, cum Christus ipse tam exactè tempus octavi diei observare voluerit.

T&



## V.

τὸ περιτεμεῖν τὸ παιδίον, *Ut circumcideretur Puer*, subintellige, *Circumcisus est*, sicut lex precipiebat. Non enim hic sensus esse debet, quasi octavo die, cum circumcidendus esset Puerulus, ipse omiſſa circumcissione nomen acceperit. Alii ante hæc verba: *Ἐ περιτεμεῖν* scil. *ἐνεκα*, subaudiendum esse putant: *Et congregati essent Parentes & cognati Jesu*. Quæ opinio nihil habet incommodi, siquidem & in Johannis Baptistæ historia legimus, quòd amici conuenerint, & cum parentibus de ratione nominis imponendi deliberarint. Duo tamen consideranda hic sese nobis offerunt, 1. Factum ipsum, seu Quid, videlicet Circumcisio carnis. 2. Persona, seu Quis, ipse Puer Dei & Virginis Filius. Hic Circumcisionem istam sustinuit, & legi Dei satisfaciendo, nos, qui sub maledictione legis eramus, redemit & libertati restituit. Hic circumcissione carnis nos hortatur ad circumcissionem cordis, quâ Dei viventis Spiritu homo cum pravis suis concupiscentiis mortificatur, & omnis impuritas instar alicujus præputii avellitur, *ne regnet peccatum in mortali corpore nostro, Rom. 6. v. 12.*

## VI.

καὶ ἐκλήθη τὸ ὄνομα αὐτοῦ Ἰησοῦς, *Vocatum est nomen ejus* **JESUS**. Hic particula *καὶ* abundare videtur, unde etiam à Syro, qui simpliciter habet: *יֵשׁוּעַ*, *Vocatum est nomen ejus*, tum etiam Latino Interprete omittitur. Beza in gloss. super hunc locum, eam quoq; in vetustissimo quodam Codice Græco non reperiri, sed *ἀνομάειν* absq; conjunctione ibidem legi asserit, quod Pleonasmus in hac sententia commissum magis confirmat. Quòd si tamen subaudiatur in præcedenti, ut antea monuimus, *Circumcisus est*, conjunctio non redundabit, vel poterit etiam hæc copulativa esse posita pro temporis relativa *tunc*, more Hebræorum, quemadmodum in hoc ipso cap. sumitur vers. 17. Vetustissimum autem est nec pietate carens, ut simul cum ipso initiationis Sacramento infantibus nomina imponantur, quò ita fœderis divini & libri vitæ, in quam istâ actione quasi nominatim sunt adscripti, perpetuò admonerentur. Cùm igitur & Christus nostri causa circumcidi voluerit, etiam proprium aliquod nomen ipsi fuit assignandum, & quidem tale, quod ipsius in nos merita & beneficia



exprimeret. Et hoc est nomen **JESUS**, hoc est, Salvator, ita dicitur,  
quod *salvaturus esset populum suum à peccatis eorum*, *Matth. 1. v.*  
*21.* Quod sanè omnibus piis & verè Christianis maximo debet esse  
solatio, se videlicet habere Jesum, in quo omnes credentes acci-  
pian remissionem peccatorum & salutem æternam.

VII.

*Τὸ κληθὲν ὑπὸ τοῦ ἀγγέλου, quod vocatum est ab Angelo.* In-  
nuit hisce Lucas nomen **JESU** non arbitrio quodam humano,  
quod facilè falli potest, sed à Deo ipso primùm Puero impositum  
esse Angelo interprete. Qui simul nominis Etymologiam cœ-  
litus concreditam evolvit, & **ΥΙΟΥ** Jesus à Rad. **ΥΨΩ**, seu salvando  
deduxit, ut indicaret, *non esse aliud nomen datum hominibus sub*  
*cælo, in quo nos salvari oporteat, nisi nomen **JESU***, *Actor. 4. v.*  
*12.* Hinc Venerabilis Beda in hunc locum, *Nomen **JESU**, in-*  
*quit, gloriosum, omniq; cultu dignissimum, non decuit primum ab*  
*hominibus appellari, neq; ab eis inferri in mundum.*

VIII.

*Πρὸ τοῦ συλληθῆναι αὐτὸν ἐν τῇ κοιλίᾳ, Priusquam in utero*  
*conciperetur.* Respicit illis verbis Evangelista in caput Evangelii  
sui primum, ubi Angelus Gabriel Christi incarnationem Mariæ  
annunciavit, & ex voluntate & decreto divino nomen **JESU** pue-  
ro esse proprium voluit. Inde rursus providentia Dei est conspi-  
cua, qui Filii sui curam gerit, antequam in utero concipiatur.  
Quemadmodum adhuc hodiè de piorum liberis est sollicitus in  
utero matris existentibus, & illorum nomen vocat, *Psal. 139. v. 13.*  
*Esa. 43. v. 1.*

IX.

**CAPUT SECUNDUM.**

*Διασάφησις questionum pro luculentiori textus*  
*intelligentia.*

**QVÆSTIO PRIMA.**

*Quid Circumcisio significet, & quæ ejus variæ*  
*appellationes, tum distinctiones?*

**S. I.** Magna fuit semper Dei *φιλοπρωπία*, iccirco non solum homi-  
nes



nes statim in prima creatione præ omnibus animantibus reliquis  
variis donis ornavit, & ad suam imaginem condidit, ut in ea æter-  
num viverent, verum etiam, postquam illi ex Diaboli seductione  
jam lapsi essent, sibiq; damnationem & mortem æternam ascivif-  
sent, sanationis medium invenit, ac in Christo serpentis caput  
contrituro, restaurationem & vitam beatam omnibus credentibus  
reparavit. Cùm autem hæc promissio Evangelica fidem exigat,  
nosq; intellectus per lapsum corruptus & à Deo aversus de divi-  
nis promissionibus semper dubitet, Misericordissimus Deus & sa- *Circumcisio-  
nis causa im-  
pulsiva.*  
luti & fidei nostræ imbecillitati adhuc magis consulens, istam pa-  
ternam suam in nos voluntatem externis quibusdam insuper si-  
gnis confirmatam dedit, ut ita, quod de salute nostra in verbo pro-  
ponitur, externo signo obsignatum firmâ & immotâ fide à nobis  
appreenderetur, omnisq; ex animis nostris dubitatio evellere-  
tur. Atq; in horum signorum numero fuit Circumcisio, de cu-  
jus origine, natura & usu antequam dicamus, paucula de ejus no-  
mine sunt exponenda. *Oportet enim prius vocis ipsius usum cogno-  
scere, à quo sæpè provehimur in rei perceptionem, Scalig. exer. 1. f. 1.*

S. 2. Vocatur verò hoc Sacramentum, Primò Hebræis מילה, *Nomina*  
vel ut Rabbini placet מילה. Item cum adjectione כשר ערלה  
Præputii carnis amputatio seu Circumcisio. Græcis περιτομή  
quod est circumcidere, circumsecare, quo voca-  
bulo etiam hic utitur Evangelista. Ubi nota, vocem abstractam  
Circumcisionis sæpè in Scriptura pro concreto seu pro Circumci-  
sis usurpari per Metonymiam adjuncti. Ita Rom. 3. vers. 30. scribit  
Paulus, Deum justificare & περιτομήν, Circumcisionem ex fide & præ-  
putium. Et Galat. 2. v. 7. se esse Apostolum præputii, Petrum Cir-  
cumcisionis. Et Christum fuisse Circumcisionis διακοσίον, Rom. 15.  
vers. 8.

S. 3. Deinde vocatur generali nomine ברית, *diathesis* Te-  
stamentum, idq; porissimum ob duplicem rationem. Una est,  
quia Circumcisio totam fœderalem actionem denotat, quæ non  
solum amputatione carnis, sed etiam obligatione, quâ Deus se-  
fore Deum Abrahami promittit, & vicissim ab Abrahamo exigit,  
obsequium, absolvebatur. Altera est, quia Circumcisio est visi-  
bile medium, per quod invisibilis gratiæ divinæ stipulario acqui-  
ritur.



ritur. Sic enim Deus *Genes. 17. v. 13.* dicit: *Et erit בריתי fœdus meum in carne vestra in fœdus perpetuum.* Quo in loco per Fœdus visibilem Circumcisionem intelligi debere demonstrant voces IN CARNE, nempe in ea corporis parte, quâ omnes generantur & concipiuntur in peccato, eoq; carnales homines nascuntur, quod verò visibilis illa Circumcisio in carne sit medium & ὄργανον, quo confœderatio DEI æterna in semine benedicto, id est, in Christo ex semine Abrahæ & Davidis, sed sine peccato nascituro confertur, FœDERIS proximâ & immediatâ repetitione manifestum evadit.

§. 4. Tandem etiam ברית ה' Signum fœderis appellatur, quod Paulus *Rom. 4. v. 11.* exprimens dicit, Abrahamum accepisse signū Circumcisionis, σφραγίδα τῆς δικαιοσύνης τῆς πίστεως, *signaculum justitiæ fidei.* Et Stephanus *Act. 17. vers. 8.* Dedit Dominus Abrahamo διαθήκην περτομῆς, *Testamentum seu Pactum Circumcisionis.*

Circumcisio duplex.

§. 5. Neq; negligenda hîc esse videtur vocis Circumcisionis distinctio, quæ duplex in sacris literis numeratur. Prior est Circumcisio Propria, Ceremonialis, σαρκική, carnalis & visibilis, quæ fit manu externa & cultro, ubi carnis præputium rescinditur, quam Apostolus *περτομὴν ὀκταήμερον, Philip. 3. v. 5. & χειροποίητον ἐν σαρκί, Ephes. 2. vers. 11.* nominat. Posterior est Metaphorica, Moralis, spiritualis, invisibilis & interna, quæ fit Spiritu intus in corde, quando corrupta hominis natura reficitur & peccata & vitia amputantur, *Deut. 10. v. 16. & 30. v. 6. Jerem. 4. v. 4.* Et hanc Paulus *περτομὴν ὄχειροποίητον* appellat, *Coloss. 2. v. 11.*

Et quamvis diversæ fuerint hæ circumcisiones, tamen in populo Judaico interna & spiritualis à carnali & externa ad eò non fuit divellenda, ut etiam Deus hanc sine illa tanquam prorsus inutilem & perniciosam damnârit. Quocirca *Rom. 2. v. 25.* scribitur, *Circumcisio quidem prodest, si legem observes.* Et *vers. 28.* *Non qui in manifesto, Judæus est, neq; quæ in manifesto in carne circumcisio est.* Hinc quoque istæ tam frequentes in V. T. ad spiritualem Circumcisionem adhortationes, *Deut. 10. Jer. 4. &c.* Jubentur circumcidere *aures Psal. 95. v. 8. Luc. 8. v. 8. Jacob. 1. v. 19. Oculos Psal. 119. vers. 37. Matth. 5. v. 28. Os & linguam Psal. 52. v. 2. Rom. 2. v. 24. Manus Deut. 27. v. 26. Ephes. 4. v. 28. Pedes Psal. 1. v. 1. Proverb. 6. v. 1.* Quâ



Quâ interna circumcissione etiam verè Christiani Circumcisi & Circumcissio dicuntur, *Philip. 3. v. 3.*

X.

## QVÆSTIO II.

Quid Circumcissio sit, & quæ ejus cause?

§. 1. Hisce jam prælibatis facillimum est colligere Circumcissionis definitionem. Fuit autem illa Sacramentū initiationis V. T. à Deo institutum, & Abrahæ ac posteris ejus mandatum, in quo per præcisionem præputii Deus erat efficax, recipiebatque eos in fœdus gratiæ suæ per fidem in Christum ex Circumcisso isto populo nasciturum, cujus etiam beneficia legitime circumcissis simul conferebantur & obsignabantur.

*Circumcissio a nis descri- ptio.*

§. 2. In hac descriptione ordine singulæ possunt notari causæ, 1. *Efficiens principalis*, Deus ter Optimus Maximus, qui An. mundi 2048. & ante Christum natum 1023. Circumcissionem instituit & mandavit.

2. *Causa administrans* ordinariè est persona publica, qualis fuit *Abraham*, *Gen. 17. v. 23.* *Ios. cap. 5. v. 2.* *Paulus Act. 16. v. 3.* Extraordinariè v. & in necessitatis casu etiam à privatis personis, imò mulierculis administrabatur *Exod. 4. v. 25. 1. Macc. 1. v. 63. & 2. Mac. 6. v. 10.* 3. *Causa instrumentalis* fuit culter acutus, *Ios. 5. v. 2.*

4. *Forma* & tota Circumcissionis essentia cōsistebat in ipsa præputii amputatione juxta ritum à Deo præscriptum. 5. *Subiectum* erant Masculi ex semine Abrahæ orti, *Genes. 17. versic. 20.* etiam servi emptitii omnes qui in familiâ Abrahæ recipi volebāt, Reliqui vero ad ipsam non erant adstricti, ut Naeman, Darius, Cyrus, &c. Fœmellis etsi signū hoc non imponat Dominus, quia ejus non sunt capaces, nihilominus pro circumcissis habere vult, viris circumcissis, quod cū vir mulieris caput sit, in viris incorporentur mulieres.

8. *Finis* denique sacramenti hujus est multiplex, 1. Ut promissionem Evangelicam de vero Messia, semine benedicto ex Abrahæ nascituro, & ab omni peccato nos liberaturo, cordisque Circumcissionem abjecto præputio per Spiritum sanctum operaturo, semper in memoriam revocaret. 2. Ut posteritas Abrahæ & illi qui erant in Ecclesia Dei, ab Ethnicis & reliquis

*Circumcissio a nis finis seu usus.*

B

quis



quis gentibus eo signo discernerentur. Non enim fecit Deus taliter omninationi, & iudicia sua non manifestavit eis, Psalm. 147. vers. 29. 3. Ut admonerentur peccatum originale per carnalem generationem in posteros traduci. Quod enim ex carne natum est, caro est, Iohā. 3. vers. 6. Et hinc factum, quod stigma illud membro genitali sit inflictum. 4. Ut ostenderetur, quicquid damnationis infantes è nativitate carnali cōtraxerāt, tolli ab illis per præputii circumcissionem. Nam ea parte convenienter susceperunt infantes regenerationis Sacramentum, unde sortiti erant generationis principium. Propterea quoque electi Dei circumcissione, tanquam certo signaculo favoris & auxilii divini, non minus ac nos baptismo freti, etiam extremas angustias & calamitates animosè contempserunt, ut patet exemplo Ionathæ, 1. Sam. 14. & Davidis, 1. Sam. 17. 5. Veritu isto novo de nova obœdientia & cordis circumcissione commonefierent. Voluit namque Deus juxta tenorem fœderis Abrahamum in gratiam recipere, verum ita ut Abraham ejusque posteri etiam pii essent & in viis Dei ambularent, Genes. 17. versic. 1. Rectè itaque Epiphā. hæres. 8. Circumcissionem, inquit, accepit Abraham, quod ejus semen inquilinum in terra aliena non aversaretur nomen Dei, sed in corpore ferret signaculum, commonefactionis gratia atque iudicii, quod in patris ipsorum pietate perseverarent. 6. tandem & ultimo injuncta est circumcisio, ut esset typus baptismi: Ut quemadmodum in veteri Testamento circumcisio fuit salutare *ἡγοραίων*, per quod in fœdus Dei & *ἡγοραίων* fuerunt recepti, ita etiam in novo Testamento per Baptismum Deo initiarentur, & æternæ salutis participes fierent. Hinc etiam Baptismus lavacrum regenerationis vocatur, Tit. 3. versic. 5. Et *ἡγοραίων* bonæ conscientia apud Deum, 1. Petr. 3. versic. 21. Videatur de his & similibus allegoriis Augustin. libr. 6. Cont. Faustum. Ambros. libr. 1. de Abraham. Theodor. quest. 67. in Genes. Philo. in libr. de circumcissione.

XI.

QVÆSTIO III.

Quæ



Quare Christus circumcidi voluerit?

S. 1. Cum principalis circumcisionis finis fuerit interior regeneratio, per quam infantes in peccatis concepti & nati ac divinae gratiae expertes, in gratiam & foedus Dei reciperentur, non immerito quaeritur: Cur CHRISTUS, qui hoc novo foedere cum Deo etiam secundum humanam naturam minimè egerere videbatur, siquidem conceptus fuit à Spiritu sancto, Matth. 1. vers. 18. Sanctus, Luc. 1. vers. 35. qui non fecit iniquitatem, nec in ejus ore est inventus dolus, Iesai. 53. vers. 9. qui fuit Pontifex noster sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus & excelsior caelis factus, Hebr. 7. v. 26. Cur nempe ipse circumcisioni se subjecerit?

Christus factus  
in carne  
circumciscus.

R. S. 2. Totum illud unice nostri causa factum est. Voluit enim filius Dei sua circumcisione publicè & solenniter sese coram patre suo caelesti obligare, & ostendere, quod venerit totam legem pro nobis implere, & poenam peccati seu maledictionem legi annexam in se recipere. Nam ut Paulus scribit Galat. 5. vers. 3. is qui circumcisionem in carne admittit, est debitor universae legis faciendae. Cum igitur Christus legi Dei per sese nequaquam esset subiectus, sed potius Dominus legis & sine peccato, hominum tantum gratia factus est legi obnoxius, ut nos qui sub lege fuimus, redimeret, & adoptionem filiorum reciperemus, Galat. 4. vers. 5.

1. Causa.

Tenebamur namque nos omnes praecepto divino ex asse satisfacere, ita ut transgressores maledictionem tam corporalem quam aeternam incurrerent, juxta illud Deuteron. 27. versic. 26. Maledictus qui non fecerit omnia, quae scripta sunt in libro legis.

Verum enim verò lex in nobis infirmabatur per carnem, quemadmodum Apostolus loquitur, ut legem implere nobis esset impossibile.

Eramus omnes naturam filii irae; Ephem. 2. vers. 3. Omnes peccavimus & egemus gloriam Dei, Roman. 3. vers. 23. Omnes declinaverunt, simulque inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, neque unus, Psal. 14. vers. 3.

B. 2

Ne



Ne itaque sub dira ista maledictione nobis æternum perendum esset, Christus Jesus se ad totius legis observationem nostri causa suscipiendam sua Circumcisione Deo parenti spontè obstrinxit, & sanguinis sui primitias fundendo solutionis fecit initium. *Sine sanguinis namq; effusione nulla fit remissio, Hebr. 9. vers. 22.* Unde Salvator ipse *Matth. 5. vers. 17.* *Ne puteris quod venerim dissolvere legem aut Prophetas, non veni dissolvere sed adimplere.* Et hinc etiam est quod Christus tam sæpe in Scriptura Nobis natus, Nobis datus dicatur. Prout ergò non sibi sed nobis natus est, ita quoque non sui, sed nostri solummodo causa circumcidi, & purissima carne sua vulnerari voluit.

2. *Causa.*

§. 3. Deinde factum hoc ideo quoque est à Christo, ut veritatem humanæ suæ naturæ comprobaret. *Circumcisio enim veritatem suscepta probat humanitatis, & nomen quod est super omne nomen, gloriam indicat majestatis, ait Bernhard. serm. 1. de Circumcis.* Nam sicut per lapidem lydium verum aurum probatur & à falso determinatur, ita per acutum lapidem seu cultrum, vera Christi caro cognita & approbata fuit. Sciebat omniscius Dominus post suam visibilem ascensionem fore hæreticos, qui veritatem carnis ipsius negaturi essent, quemadmodum antehæc id Manichæi fecerunt, qui nequiquam concesserunt, Christum verum & naturale corpus humanum habuisse, sed tantum externam speciem, umbram & phantasma corporis. Sicut contra alii Christo quidem verum corpus humanum ascribunt, nullum tamen dolorem in eo ipsum sensisse statuunt, quæ opinio Hilario tribuitur.

At hi Sectarii omnes Circumcisione Christi refutantur. Si enim Christi in carne Circumcisio vera & non phantastica fuit, etiam carnem ipsam seu corpus verum & non Phantasticum seu imaginarium esse oportuit. Et si Christus in sua Circumcisione nullos dolores sensisset, nihil nobis illa profuisset. *At verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros portavit, Esai. 53. vers. 4.* Et quia pueri communicaverunt carni & sanguini, & ipse consimiliter participavit eisdem: ut per mortem aboleret robur habentem mortis, id est, Diabolum. Et liberaret eos, qui timore mortis per totam vitam obnoxii erant servituti. *Non enim angelos apprehendit sed semen Abrahæ apprehendit. Unde debuit per omnia fratri.*



fratribus similari, ut misericors fieret, & fidelis Pontifex ad Deum,  
ut repropitiaret delicta populi: In quo enim passus est ipse & tenta-  
tus, potest tentatis auxiliari, Hebr. 2. v. 15.

§. 4. Præterea debuit Circumcisio esse nota & signum, 3. causa  
quo semen Abrahæ, ex quo nasciturus esset Messias, ab aliis gen-  
tibus discerneret. Ut ergo Christus ostenderet se esse Messiam  
& verum semen Abrahæ, quod postea pluribus miraculis confir-  
mavit, & ne domus Israel, ad cuius perditas oves missus erat,  
Matth. 15. vers. 21. ullam excusationem haberent illum ob præ-  
putium contemnendi, notam Circumcisionis in carne susce-  
pit, atque ita simul manifestum reddidit illam figuram & typum  
in se impleri, ac impletione ista externis Judæorum Ceremo-  
niis finem imponi. Quandiu igitur Israelitas propter Messiam,  
ex illorum sanguine oriundum à gentibus separatos esse oportuit,  
tamdiu Circumcisionis signum valuit, postquã autem omnes na-  
tiones in Christi ovile vocati sunt, peculiare signum evanuit.

Sicut enim ad lumen & splendorem Solis, omnis umbra perit &  
non amplius apparet similia. Ita ubi Sol Iustitiæ Christus Jesus  
in hunc mundum illuxit, omnis simul umbra externarum cere-  
moniarum in populo Judaico sublata, & in splendorem novi Te-  
stamenti est mutata. Et sicut qui in agro thesaurum abscondit,  
loco solet apponere signum, quando verò thesaurum extrahit,  
etiam signum inde tollit, utpotè quod jam istam signandi facul-  
tatem amisit; Ita cum altissimus Deus pretiosissimum & opu-  
lentissimum thesaurum, mundi Salvatorem in Abrahæ posteris  
absconditum servaret, apposuit rei signum Circumcisionis, Post-  
quam autem temporis plenitudo venisset & Christus jam in car-  
ne apparuisset etiam signis Deus valore amplius nullum concessit,  
sed ea simul abrogavit.

§. 5. Voluit deniq; Virginis filius suo exemplo Circum- 4. causa  
cisionem, tanquam institutionem Dei isto tempore utilem stabi-  
lire contra omnem mundi sapientiam, quæ hoc mysterium ride-  
bat, & ceu ritum rationi absolum & inutilem contemnebat. Bo-  
na namque fuit Circumcisio, bona lex Moïsis, & à Deo usque  
ad adventum Messie data. Hæ sunt præcipuæ Circumcisionis  
CHRISTI causa, quæ multa utilissima monent, de quibus  
in seqq.



## QVÆSTIO IV.

Quo die post natiuitatem Christus circumcisus sit?

Dies octa-  
bus in cir-  
cumcisione  
Iudaorum  
non fuit  
neglectus.

§. 1. Dubitandi ansam præbent verba Evangelistæ, quando dicit: *Postquam consummati sunt dies octo, ut circumcideretur puer.* Si ergò post consummatos octo dies circumcisio Christi instituta est, utique non ipso octavo à natiuitate die, sed vel nono, vel decimo, quod tamen & ordinationi diuinæ, quæ vult, ut omnis masculus octavo die circumcisionis sacramentum suscipiat, *Gen. 17. vers. 12* *Levit. 12. v. 3.* & exemplis seu consuetudini Iudæorum repugnaret. Sic *Isaac Gen. 21. v. 4.* & reliqui *Patriarchæ Act. 7. vers. 8.* Sic *Iohannes Baptista, Luc. 1. v. 59.* die octavo circumciduntur. Imò tanta fuit habita diei octavi observatio, ut si vel maximè in Sabbathum incideret, nihilominus tamen circumcisio non fuerit procrastinata, quemadmodum id manifestè colligitur ex disputatione Christi contra Pharisæos, *Iohan. 7. vers. 23.* ubi sic arguit: Si circumcisionem accipit homo in Sabbatho, ut non solvatur lex Moisis, & mihi indigamini, quia totum hominem sanum feci in Sabbatho.

Octo dies  
impleti  
quid inscri-  
ptura.

§. 2. Verum sciendum, phrasin illam esse Scripturæ, quæ quando significare vult futurum aliquid certo die vel tempore, dicit futurum post diem illum vel tempus, ut sic magis innuat, post exactum intermedium tempus & insuper post exactam partem illius diei aut temporis, quod nominatur, rem certò futuram. Hoc sensu quinquaginta dies impleti dicuntur, quando discipuli Christi unanimiter congregati acceperunt Spiritum sanctum, *Act. 2. v. 1.* cum adhuc quinquagesimus adesset. Sic impleti sunt dies, i. e. aderat dies, ut *pareret, Gen. 25. v. 24.* & *Luc. 1. vers. 27.* Sic *Matth. 27. v. 63.* Christus dicit: *Post tres dies resurgam* i. e. elapsis duobus diebus integris & tertio ex parte. Quod *Gen. 40. v. 13 & 19.* Hebraicè ad verbum בְּעוֹד שְׁלֹשֶׁת יָמִים in adhuc tribus diebus. Jesu itaque pueri circumcisio non nono vel



vel seqq. diebus, sed ipso octavo à nativitate die fiebat. Hinc Beza in novo Testamento hæc verba: καὶ ὅτε ἐπλήσθησαν ἡμέραι ὀκτώ ad sensum respiciens ita reddidit: Et cum advenisset dies octavus. Quamvis propterea vulgata & Erasmi versio minimè sit con- temnenda, quam tamen hoc loco taxat Beza, utpotè quæ voces Græcas optimè exprimit, nec aliud à vero sensu diversum in- nuit, ut ex præcedentibus planum est. Favet vulgatæ etiam Paraph. Syrus, qui habet: וַיְכַרְמֶלֶךְ מִלֵּוּ תְּמִינָה יוֹמִין; Et cum imple- ri essent octo dies,

XIII.

QVÆSTIO V.

*Quodnam Christo in circumcissione sit impo- situm nomen?*

§. 1. Quando circumcissionis Sacramentum instituebat DEVS, Genes. 17. nomen Abrahæ, cui primò illud signum dederat, auxit literâ Hebræorum אָבְרָהָם & quidem ex nomine אָבְרָהָם multitu- do, vel verbo אָבְרָהָם multiplicari. Vocabatur enim antea אָבְרָהָם sine aspiratione i. e. pater sublimis & excelsus ab אָבְרָהָם pater & אָבְרָהָם i. e. exaltari; postea nomen accepit à Deo אָבְרָהָם Nominis impositio in circumcissio- ne unde? i. e. Pater multitudinis seu multarum gentium. Hanc namque E- tymologiam Deus ipse addit. Sicut ergò DEVS eo ipso tempore, quo circumcissionem Abrahæ commenda- vit, nomen quoque ejus immutavit; ita deinceps in populo Judaico mos iste inolevit, ut in circumcissio- ne nomina imponerentur. Qui mos, ut laudabilis, ita apud ipsos Christianos in novo Testamento etiam receptus est, ut in Baptismo, qui circumcissioni succes- sit; nomina suis infantibus darent.

§. 2. Pro-



Nomen Je-  
su ab eter-  
no à Deo  
Messia con-  
secratum.

§. 2. Proinde cum & Christus in carne circumcidi velleret, & juxta consuetudinem Judæorū ei certum aliquod nomen esset assignandum, accepit nomen JESVS, sicut mandatum erat ab Angelo Mariæ & Josepho, tam ante quàm post conceptionem, Luc. 1. vers. 31. & Matth. 1. vers. 21. Vnde Evangelista noster disertis verbis inquit: Quod (nomen JESVS) vocatum erat ab Angelo, priusquam in utero conciperetur. Idq; nō tantum ideo addit, ut Mariæ & Josephi obœdientia multis encomiis prædicetur, verum imprimis ut certum et manifestum fiat, non humana aliqua opinione seu arbitrio, quod errori sæpius est obnoxium, sed auctoritate & mandato divino nos Christum vocare JESVM, hoc est, quærere in eo nostram salutem & liberationem à peccatis ac morte æterna, quoniam nomen illud JESVS puero huic, ipsius Dei decreto & jussu est impositum, antequam in utero esset conceptus; Iccircò Apostolus Petrus Act. 4. vers. 12. Non est, ait in alio aliquo salus, neque aliud nomen sub cælo est datum hominibus, in quo oporteat nos salvari, quàm in nomine JESV.

Inomarus.

§. 3. Etiam si igitur Christus multa alia habeat nomina appellativa, quæ ejus personam vel salvationis principium, vel medium, vel finem innuunt, unicum tamen hoc nomen proprium JESU reliqua omnia includit. Ita Ies. 7. vers. 14. sublimi ratione vocatur יהושע; Nobiscum nobis, quod duplici ratione ei convenit, 1. personæ, siquidem Verbum caro factum est, & habitavit in nobis, Ioh. 1. vers. 14. 1. Timoth. 3. versic. 16. 2. ratione personalis præsentia, quia hæc persona (יהושע) in omnibus afflictionibus & miseriis nobis est præsentissima, tanquam fidelis & condolens Pontifex, Hebr. 2. vers. 17. verum hoc nomen IESV adhuc eminent, ac totum salutis nostræ processum, principium sc. medium & finem sufficienter complectitur & exprimit, quippè quod nos perficit, 1. imputativè, dum perfectissimam suam obœdientiam erga legem Dei nobis imputat ad justitiam, Gal. 4. v. 4. ut per ejus obœdientiam non passivam tantum, ut turpiter hallucinatur Herbornensis Piscator, sed simul activam justitiam constituamur multi, Rom. 5. vers. 19. 2. perficit nos effectivè, dum nempe ipse ut Rex æternus, Esa. 9. v. 7. Rex justitiæ & Rex Salem, Hebr. 7. v. 2. Princeps regum terræ, Apoc.

JESU no-  
men perfe-  
ctissimum.



*Apoc. 1. v. 5.* ad dextram Dei sedens dominatur in medio inimicorum suorum à mari usq; ad mare, & à flumine usq; ad terminos terræ, *Psal. 72. v. 8.* & *110. v. 1.* ac suam Ecclesiam defendit, contra portas inferorum, *Matth. 16. v. 18.* 3. Inchoativè, dum in nobis per Spir. sanctum excitat novam obedientiam, *Tit. 3. v. 5.* ut militemus bonam militiam, *1. Timoth 1. v. 18.* & carnis concupiscentiam non perficiamus, *Galat. 5. v. 16.* Tandem 4. completivè, dum regnum suum hic fide inchoatum, in altero seculo consummabit per gloriam, & nos ab omni miseria planè exemptos, in beatâ vitâ introducet, ut cum ipso in æterno vivamus gaudio, *Matth. 8. v. 11.* & *19. v. 28.* *Iob. 14. v. 3.* & c.

XIV.

QVÆSTIO VI.

*Nomen Jesus quid propriè significet?*

§. 1. Cum dignissima omnibus Christianis habeatur accurata nominis JESU consideratio, quia illud lucet prædicatum, pascit recogitatum, lenit & tangit invocatum, quemadmodum piè loquitur Bernhardus super Cantic. proinde vocis Etymon non est negligendum. Omnium autem optimè id explicat cœlestis nuncius *Matth. 1. v. 21.* sic namque ille ad Josephum: *Vocabis nomen ejus Iesum. Ipse enim salvum faciet populum suum à peccatis eorum.* Est quidem vocabulum Jesus sua origine Hebræum & יֵשׁוּעַ vel quod ex illo contractum videtur יֵשׁוּ scribitur schevâ nimirum vocali ministra mutata in secundam, propter literas quæ proximè desunt. Nam filius ille Josedec, qui apud Hagg. & Zachariam יְהוֹשֻׁעַ vocatur, alibi ipse dicitur, *Hezr. 2. v. 2.* *Nehem. 7. v. 7.* Et filius Nun, qui & יְהוֹשֻׁעַ (adjecta ab initio litera Jod, cum antea יְהוֹשֻׁעַ nominaretur) alibi appellatur יֵשׁוּעַ *Nehem. 8. v. 17.* Verum Angelus scriptiorem & pronunciationem Græcam retinuit, quæ tunc maximè etiam in populo Dei fuit usitata, ac Hebræum יהושׁוּעַ vel Jesuah reddidit per *Ἰησοῦς*. Ne autem ista pronunciationis vel scriptiorem mutatio in vera nominis interpretatione tenebras offerret, subjicit statim in explicatione Radicem, derivari videlicet id à verbo יֵשׁוּעַ in Hiphil, quod salvum facere, salvare, servare vel vindicare significat.

Ετυμολογία  
 γένος  
 JESU Angelus

C

§. 2. Pro-





§. 2. Prout itaque nomina, quæ in scriptura divinitus imposita leguntur, res vel gerendas vel gestas, aliasque proprietates denotant, v. g. Adam dicitur à rubra terra in oriente, ex qua formatus est, & quam colere debebat, Radix est  $\square \Gamma \aleph$  rubuit. Et Jacob nuncupabatur supplantator à R.  $\beth \aleph \psi$ , quia Esavum fratrem in primogenitura supplantaverat, *Gen. 25. v. 33*; Ita quoque Christus suum nomē ab insigni & admirando salvationis opere accepit, ut vocaretur  $\text{I}\eta\sigma\acute{\upsilon}\varsigma$  Salvator, idque  $\kappa\alpha\tau' \epsilon\lambda\theta\omicron\chi\eta\nu$ , quoniam ipse exclusis omnibus creaturis salvat, *Act. 4. vers. 12*; ab omni peccato salvat, *Matth. 1. v. 21*; & *1. Iohan. 1. v. 7*. Salvat merito suo. Ipse enim est propitiatio pro peccatis nostris, *1. Iohan. 2. vers. 2*. quem proposuit Deus  $\text{I}\lambda\alpha\sigma\eta\epsilon\iota\omicron\nu$  propitiatorium in sanguine ejus, *Rom. 3. v. 25*. qui per proprium sanguinem intravit semel in sancta, aeternam redemptionem inventa, *Hebr. 9. v. 12*. Salvat efficacia, dum Redemptionis beneficia per Spiritum sanctum mediante verbo & sacramentis nobis confert, applicat & obsignat, & tandem quia perfectissimè salvat hic salutem in nobis inchoando, in altera verò vita perficiendo, ut in præced. quæst. est explicatum.

**JESUS**  
Salvator  
 $\kappa\alpha\tau' \epsilon\lambda\theta\omicron\chi\eta\nu$

§. 3. Nihil proinde obstat, quod etiã alii in V. T. hoc nomine appellati fuerint, veluti famulus, Mosis qui post ejus mortem Dux factus est populi Israëlitici, eundemq; in promissam terram perduxit, *Ios. 1*, cujus etiam fit mentio in N. Testamento *Act. 7. v. 45*. *Hebr. 4. v. 8*. Item Iesus Iosedec, qui in reditu populi Israëlitici ex captivitate Babylonica summus fuit Pontifex, *Hagg. 1*. *Zachar. 1*. Nam distinguendi sunt termini à quo & ad quem, qui cum omni salvatione semper coherent, & in actione ponunt discrimen. Fuerunt itaque in V. T. qui nomine JESU seu Salvatoris, sed ab hoc nostro Salvatore differunt in modo salvandi, tam quoad terminum à quo, quàm quoad terminum ad quem. Liberabant illi populum ab hostibus externis, & solummodò beatitudinem temporalem & Politicam constituiebant; Christus autem ab hostibus internis, peccato nimirum & morte liberat, *Matth. 1, v. 21* & liberat reconciliationem cum Deo, conscientia pacem,  $\text{I}\rho\theta\epsilon\omicron\iota\alpha\nu$ , donationem Sp. sancti, aeternam beatitudinem & beatam aeternitatem confert & applicat; Deinde isti V. T. Salvatores tantum habuerunt hoc nomen ab impositione hominum, noster autem

Salvatores  
V. T. à Salvatore  
N. T.  
quomodo  
distinguantur.

JESUS



IESUS accepit illud ex impositione Angeli. Quamto ergo An-  
gelus major est homine, tanto hoc nomen in Christo est excel-  
lentius. Tandem illi tantum typi & figura nostri Salvatoris fue-  
runt, hic autem fuit Servator & Salvator verus. Sicut enim Ie-  
sus Nave vir fortis superatis hostibus filios Israel in terram Ca-  
naan introduxit, iisque hæreditatem divinitus ordinatam per  
sortem distribuit, quo tamen Moses pervenire haud poterat;  
Ira Christus verus IESUS & heros fortissimus hostibus huma-  
ni generis expugnatis & devictis, hæreditatem in cælis para-  
tam & sanguine suo partam, ad quam per Mosen seu legem Mo-  
saicam pervenire haud poteramus, credentibus omnibus di-  
stribuit, Hinc est & vocatur *Dux populi Mich. 5. v. 2 Dan. 9. v. 25.*  
Et quemadmodum alter Iosedec Sacerdos fuit, ac sanctum Do-  
mini templum ædificavit; Sic virginis filius sanctissimus, ve-  
rus noster Sacerdos, ac æternus summus Pontifex existens, *Psal.*  
*110. v. 4.* sua sanctitate spirituale templum, h. e. veram Eccle-  
siam ex sanctis & credentibus lapidibus construxit, sicq; illas  
figuras in se impletas esse monstravit.

§. 4. Licet autem vocabulum Salvatoris seu Salvandi apud  
probatos Latinæ linguæ autores non reperiatur, censuerunt ta-  
men sancti Patres & Ecclesiæ Doctores eo melius nomen *1108*  
seu *σωτηρις* exprimi, quam vocabulo Servatoris, quia ut Cicero  
ipse agnoscit *Act. 4.* in Verrem, Græcum *σωτηρ* & *σωτηρις* plus si-  
gnificat, quam Latinum Servator vel Servare.

XV.

## QVÆSTIO VII.

### An nomen IESU sit novum?

§. 1. Novum illud fuisse videtur innuere locus *Iesai. 6. 62.*  
*v. 3.* ubi Propheta ita loquitur: *Et vocabitur tibi nomen novum, quod* *Novum Je-*  
*os Domini declarabit.* Sed sciendum est dictum illud principaliter *sum quo res*  
loqui de Ecclesia, cui suam gratiam & auxilium ibidem pro- *pectu no-*  
mittit Deus. Sin autem quis illud ad caput Ecclesiæ Christum, & *vum.*  
ad nomen IESU referre velit, dicimus novum illud esse ratio-  
ne impositionis & significationis, quia novo & mirabili modo  
ab Angelo est prolatum, notatq; non temporalem & vulgarem  
Salvatorem, sed æternum, spiritualem & cœlestem.

C 2

§. 2. Etc.



§. 2. Etenim non tantum in Novo, verum etiam in V. Testamento fuisse revelatum & cognitum hoc nomen, ex quibusdam Scripturæ dictis aliqui conantur deducere. Ita Habacuc quasi Deo gratias agens cap. 3. v. 18. inquit: *Et ego in Domino exultabo, letabor in Deo IESU meo.* Vide etiam Psal. 67. v. 21. Ies. 45. v. 8. & 49. v. 6. Ita Esdras lib. 4. cap. 3. in persona Dei Patris loquens: *Revelabitur, inquit, Filius meus IESUS, cum ijs, qui cum eo letabuntur.* Et iterum: *Moriatur Filius meus IESUS, & convertetur ad me seculum.* Confer P. Galatinum lib. 3. de arcanis Cathol. Verit. cap. 20.

§. 3. Quemadmodum igitur Johanni Baptistæ novum nomen dicitur impositum, Luc. 1. v. 63. non quod illud in populo Israëlítico planè inauditum fuerit, contrarium enim patet ex 1. Par. 6. v. 9, cap. 12. v. 4. cap. 26. v. 3. 2. Par. 17. v. 15. & c. 23. v. 1. Item Esdr. 20. v. 6. Ita hoc quoque Christus novum nomen dicitur accepisse, quamvis illud & Prophetis cognitum fuerit, tum etiam aliquot duces ante ejus incarnationem in V. T. Testamento habuerint, quoniam eo modo, quo de Christo dicebatur, nulli, præter ipsum, conveniebat. *Non enim est in aliquo alio salus & c. Act. 4. v. 12.*

XVII.

## QVÆSTIO VIII.

*Nomen JESU quomodo rectè scribatur?*

§. 1. Pagninus in expositione nominum Hebræorum, nomē Salvatoris nostri scribendū esse docet non literis יהושוע, sed ישוע, quod sic in titulo crucis, qui est Romæ in templo sanctæ crucis, scriptum inveniatur. At veriùs & certiùs hujus rei fundamentum suppeditat nobis Evangelii versio Syriaca, in qua non יהושוע sed ישוע semper legitur & scribitur. Quamvis Syri interdum etiam brevius legant יש, siquidem, notante Baal Aruch in Lexico Thalmudico: Mos linguæ Syræ est elidere ה & ע literas, sic קטי dicunt pro קטיע i. e. succisus. Hinc natum est Græcum Ιησους, quod & latinis syllabatim legitur ac scribitur. Solent namque Græci nominibus peregrinis in fine adderes. Errant igitur Jesuitæ & Pontificii, qui pro JESUS scri-



scribunt JHESUS, vel tribus literis per abbreviationem JHS cum super imposita cruce, siquidem vox illa non Latina, sed ad imitationem dictionis Græcæ facta, unde etiam eandem ferè in casibus obliquis servat flexionem, proinde quia nec in Græca, nec Hebræa lingua est litera sive aspiratio H, perperam in Latinam inferitur.

*Pontificio-  
rum vitio-  
sa scriptio.*

§. 2. Reperiuntur autem nonnulli, teste Galatino lib. 3. cap. 20. qui nomen *Ιησους* aliud non esse autumant, quam ipsum nomen Dei tetragammaton Jehovah. Unde Faber Stapulensis: *In nomine IHESV, inquit, aspiratio postponenda, quia in nomine tetragrammato Iod præcedit He, non autem He Iod.* In eandem sententiam scribit, citante Flacio & Chemnitio, Oslander, nomen Jehovah ante ineffabile, in nomine Iesu infertione literæ ineffabile factum. Verum fallunt hi quoque & falluntur. Nomen enim Jehovah remotis punctis, quatuor his scribitur literis *יהוה*. *Ιησους* quatuor planè diversis *ישוע*. Caterum nomen proprium *יהוה* ipsam Dei essentiam innuit & deducitur à Rad. *יה* esse. Nam maximè Dei proprium est esse, & ipse est Ens Entium primum & nobilissimum à se, in se, & à nullo alio dependens. At nomen *ישוע* ipsam Dei essentiam non denotat sed salutem, & deducitur à *שוע* quod est salvare, juxta Angeli interpretationem.

*Iesus non  
est nomen  
tetragram-  
maton Je-  
hovah.*

§. 3. Neque tamen Christus solummodo *ישוע* Salvator appellatur, sed etià *ישועה* cum *ע* & *ה* in fine, quod LXX. Interpretes eleganter reddiderunt per *σωτηριαν* vel *σωτηριαν*, Salutem seu Salutare, quæ vox adeò placuit Simeoni homini iusto ac pio, super quem Spiritus sanctus quiescebat, ut etiam in illiusi suo de Christo testimonio eam adhiberet. *Luc. 2. v. 30.* Sic autem Scriptura loquitur, ut scilicet ostendatur Iesum nostrum esse *α* & *ω*, principium, medium & finem, adeoque ipsum salutis fontem, ex quo in gaudio haurire possumus veras salutis aquas, *Iesa. 12. vers. 3.* ac de plenitudine ejus omnes accipere gratiam pro gratia, *Iohan. 1. vers. 16.* Præterea esse ipsum Salvatorem non tantum ratione termini à quo, quod nos miseros homines ab ira Dei, potestate Satanæ & æterna morte liberarit, sed etià respectu termini ad què, quod nobis remissionem peccatorum, Dei gratiam

*Christus Sa-  
lutaris & Salu-  
tator.*



gratiam & æternam salutem conferat. Genes. 49. v. 18. Psal. 98.  
v. 2. Iesa 52. v. 10. & cap. 56. v. 1. Habac 3. v. 18.

XVII.

### CAPUT III.

Ενδύλωσις usus contra Hæreticos.

## I. CONTRA CALVINIANOS Sanctorum infantes ante initiationis sacramen- tum in fœdere Dei esse statuentes.

§. 1. Ex supra adductis fundamentis jam ad oculum patet error Calvinianorum, qui liberos fidelium non per Circumcisionem & Baptismum in gratiam & fœdus Dei recipi statuunt, sed jam ab ipsa natiuitate, imò antequam nascantur, a vorum & proavorum sanctitate sanctos esse. Sic n Calvinus ipse cap. 9. in Math. *Quæri hoc loco solet, quatenus hominibus proficit aliena fides? Ac primò quidem certum est, profuisse Abrahamæ fidem posteris, cum gratuitum salutis fœdus sibi & posteris, sibi & semini suo oblatum amplexus est. Idem & de singulis fidelibus sentire convenit, quod Dei gratiam fide sua ad liberos & nepotes propagent, etiam antequam nascantur. Atque id in pueris infantibus locum habet, qui nondum per actum fidei sunt capaces.* Et Petrus Martyr super cap. 17. Genes. scribit, *infantes ex fidelibus natos ante baptismum ad Deum pertinere, etsi patrem aut matrem non habuerint Deo conjunctos, fortè habuisse aliquos ex suis majoribus, ideòq; eos esse membra Ecclesiæ, propterea sanctos ex mera misericordia Dei, licet fidem veram in Christum non habeant.*

§. 2. Sed ut dixi, omnia hæc Calvinianorum portenta ex præcedentibus satis diluuntur, dum in fallaciam <sup>ωσεία διδαξή</sup> impingunt. Non enim ex opere operato vel sine honore motu utentis Circumcisio gratiam & salutem confert, sed quia ex fide meritum Christi apprehendente fluit. Nam *qui sunt ex fratre, benedicentur cum fidei Abraham, Gal. 3. v. 9.* Et beneficium promittentis non datur, nisi ex altera parte respondeat officium accipientis, siquidem in fœdere se mutuo tanquam relatum & cor-

NB.



& correlatum ponunt ac tollunt beneficium & obsequium.  
Rectè Thomas 3. part. q. 70. art. 3. In Circumcisione conferebatur  
gratia, non ex virtute Circumcisionis, sed ex virtute fidei passionis Christi,  
cujus signum erat Circumcisio.

S. 3. Fœderis ergò promissio Genes. 17. facta; *Ero Deus tuus & seminis tui post te*, ad Abrahamum non absolute & *Stabat* spectabat, sed cum annexa conditione certisque mediis. *Stabat enim* subjungit Dominus: *Et tu (Abraham) pactum meum* *custodies tu & semen tuum post te in suas generationes.* v. 9. Hoc autem *Gen. 17.* pactum meum, quod observabitis inter me & vos, & semen tuum post te: *Circumcidetur ex vobis omnis Masculus, & circumcidetis carnem præpu-* *ty vestri, ut sit in signum fœderis inter me & vos &c.* v. 10. & 11. Ad-  
ditur comminatio: *Masculus cujus præputij caro non circumciditur,*  
*ejus anima eradicabitur ex populo suo, eò quod irritum fecerit fœdus me-*  
*um,* v. 14. Ubi multa contra Calvinianos notanda veniunt. 1. A-  
braham & semini ejus gratiam Dei quidè conferri, non quod  
propter parentes sancti sint, sed quod fœdus & pactum Dei ser-  
varent. 2. Fœdus illud non in nuda promissione, sed in usur-  
patione Circumcisionis Sacramenti apud ipsos posteros con-  
sistere. 3. Posteros, qui Circumcisionem non suscipiunt, et-  
iamsi ex piis parentibus nati, pactum infringere & irritum facere.  
4. Propter quem contemptum & neglectum Sacramenti ipsos  
esse delendos ex populo fidei Israël. Hoc igitur dicto ad ver-  
sarii ipsi se fortissimè in laqueos involvunt, ut eis amplius nul-  
lum sit effugium.

S. 4. Imò loci istius infallibilem interpretationem habe-  
mus Act. 2. ubi Apostolus Petrus promissionem hanc: *Ero Deus* *tuus & seminis tui post te*, non promiscuè omnibus Judæis ascribit, *sed iis tantum,* qui pœnitentiam egerint & baptisati fuerint: *Act. 2.* *Vobis, inquit, & liberis vestris facta est promissio: Pœnitentiam agi-* *te, & baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi in remissionem*  
*peccatorum,* v. 38. Quæ media cum negligenter plerique Judæi,  
& tantum patrem suum Abraham secundum carnem jacta-  
rent, propterea graviter ad illos Christus *Job. 8.* *si filij Abraham*  
*essetis, opera Abraham faceretis. Vos ex patre Diabolo estis.* Adde lo-  
cum Apostoli Galat. 5. v. 3. *Testificor omni homini circumcidenti se,*  
*quod*

*Confirmatur eadem ex dicto alijs.*



quoniam debitor est universae legis. Ecce hic rursus tota obedientia legi debita & Circumcisio requiruntur ex parte hominis, tanquam hominis officium erga Deum promittentem.

§. 5. Huc faciunt alia multa Scripturae loca. Habac. 2. vers. 4. Iustus sua fide vivet. Et Ezech. 18. Iustitia iusti super eum erit, & impietas impij super eum erit. Et si vir iustus genuerit filium impium effundentem sanguinem, &c. Numquid vivet filius? Non vivet, moriendo morietur, sanguis ejus in ipso erit. Item Hebr. 11. v. 6. Impossibile est quenquam placere Deo sine fide. Sicut enim nemo aliena sed propria vivit animam, ita quoque nemo aliena sed sua fide coram Deo vivit.

*Discrimen inter liberos renatorum, & infidelium qui sunt extra Ecclesiam.* §. 6. Habebant nihilominus Sanctorum liberi & in Ecclesia nati hanc praeter reliquis peculiarem praerogativam, ut ad sacramenta & alia summa Dei beneficia liber illis esset accessus, per quae tanquam *οργανα* & media, tandem salutem & aeternam beatitudinem consequi possent. Quod discrimen etiam exinde colligere est, quando de Iudaeorum infantibus Matth. 19. vers. 14. Marc. 10. v. 13. Salvator dicit: *Sinite parvulos ad me venire, & nolite prohibere.* Chanaanæ vero mulieri pro filia intercedenti responderet: *Non sum missus, nisi ad oves perditas domus Israel,* Matth. 15. v. 24. Et, *Non est bonum sumere panem filiorum, & obycere canibus,* v. 26. Huc Paulus respicit, quando Act. 13. v. 15. obstinatos Iudaeos ita alloquitur: *Vobis oportebat primum loqui verbum Dei, sed quoniam repellitur illud, & indignos vos iudicatis aeternae vitae, ecce convertimur ad Gentes.*

§. 7. Est igitur Sanctorum liberis janua semper aperta ad promissiones divinas, non vero fides vel fidei justitia a parentibus naturali propagatione illis ingeneratur, neque in numerum filiorum Dei recipiuntur aliter quam per regenerationem. Nisi enim quis renatus fuerit denuo, non potest introire in regnum Dei, Iohan. 3. v. 3. Nam quod ex carne natum est, caro est, v. 6. Hinc pulchre Augustin. serm. 14. Miraris, inquit, quare peccator nascatur de semine iusti, non te delectat mirari, quare oleaster nascatur de semine olivae. Accipe aliam similitudinem, iustum baptisatum pone granum purgatum. Non attendis, quia de grano purgato frumentum cum palea nascitur, sine qua seminatur,

§. 8. Quod



§. 8. Quod v. Calvinus Anabaptistam agens obiicit, *infantes per naturam non esse capaces fidei*, id falsum est, & quamplurimis tum sacrae Scripturae dictis, tum exemplis refutari potest. Sic enim Christus <sup>μαρτυροῦντας</sup> Matth. 18. v. 6. *Qui scandalizaverit unum de pusillis, qui credunt in me, expedit ei &c* Et Marc. 10. v. 14. *Sinite parvulos ad me venire, talium enim est regnum caelorum*. Ubi & fides parvulis ascribitur, dum in Christum dicuntur credere, & quod placeant Deo. Addit namq; Marcus, *quod amplexus eos fuerit Christus, illisq; benedixerit, v. 16. Impossibile est sine fide placere Deo, Heb. 11.* Exemplū quoq; habemus in Jeremia, quem Deus ab utero matris sanctificasse dicitur, *Jerem. 1. v. 5.* Ita de Johanne Baptista legimus *Luc. 1.* quod adhuc infans ad salutationem virginis Mariae in utero matris suae exultaverit cum gaudio, & quod Spiritu sancto repletus fuerit &c. quae sane non nisi cum fide conjuncta esse, nec aliundè nisi ex fide proficisci possunt. Aut ergò, Calvinus infantes fidei capaces statuat, aut quod Spiritus sanctus in his operatus est, in aliis similiter operari posse neget, quod dictu blasphemum.

*usque  
Calvini  
solvitur.*

## II. USUS CONTRA PONTIFICIOS efficaciam Sacramentorum V. T. im- pugnantes.

§. 1. Errori huic Calviniano affinis est doctrina Pontificiorum statuendum Circumcisionem in V. T. non fuisse tale medium & <sup>ὁργανον</sup>, per quod Spiritus sanctus suam gratiam dignè utentibus contulerit & applicarit. Apertè enim Concilium Florentinum sub Eugenio Papa in hac re ita decernit: *Sacramenta V. T. non causabant gratiam, sed eam solum per passionem Christi dandam esse figurabant: Nota verò novae legis & gratiam continent, & ipsam dignè susipientibus conferunt.* In eandem sententiam scribunt Patres Concilii Tridentini *sess. 7. can. 2. de differentia Sacramentorum V. & N. Testamenti: Si quis dixerit novae legis Sacramenta, à sacramentis antiquae legis quoad efficaciam non differre, anathema sit.* Bellarminus quoq; illam thesin pluribus propugnare conatur, *lib. 2. de Sacram. effectu cap. 14. 15. & seqq.* asserens nullum Sacramentum V. T. justificasse aut characterè animae impressisse, sed hoc tantummodò Sacramentis N. T. convenire.

§. 2. Verum quia ad institutum nostrum non pertinet jam de  
D efficaciam



Primum  
argumentū  
pro nostra  
sententia.

efficacia Sacramentorum in genere agere, solummodo ea nunc in  
medium adducemus, quæ Circumcisionem in V. T. eandem ha-  
buisse virtutem & efficaciam, quam nunc in Novo habet Sacra-  
mentum Baptismi, demonstrant. Et primò quidem id clarissime  
patet ex promissionis formula Circumcisionis Sacramento an-  
nexa *Genes. 17. v. 7. Ero DEVS tuus & seminis tui post te.* Ex qui-  
bus ita argumentor: Per quodcumq; Deus se Abrahamo & poste-  
ris ejus obstringit, quòd velit esse illorum Deus, per illud etiam  
iisdem suam conferri gratiam, peculiarem inhabitationem & vitam  
æternam. Hæc enim omnia illa Dei promissio, *Ero Deus tuus &  
seminis tui post te,* complectitur, quod ex similibis locis Scripturæ  
manifestum est. Ut *Levit. 26. v. 11. Ponam habitationem meam in medio  
vestri, & non reprobabit anima mea vos. Ambulabo inter vos & ero Deus  
vester, vosq; eritis populus meus. Ierem. 31. v. 33. Dabo legem meam in vi-  
sceribus eorum, & in corde eorum scribam eam, & ero eis in Deum, & ipsi  
erunt mihi in populum Propitiabor iniquitati eorum, & peccati eorum non  
recordabor. 2. Corinth 6. v. 18. Ero vobis in Patrem & vos eritis mihi in  
filios & filias. Et Matth 22. v. 32. Deus non est Deus mortuorum, sed vi-  
ventium.* Atqui per Circumcisionem Deus se obstringit, quod velit  
esse illorum Deus. Illa siquidem promissio cum conditione Cir-  
cumcisionis est accipienda, ut antea probatum dedimus. Ergò per  
Circumcisionem DEUS gratiam & salutem Circumcisis contu-  
lit.

Bellarmini  
exceptiones

§. 3. Excipit Bellarminus, *verbis illis non significari promissio-  
nem remissionis peccatorum vel vite æternæ, sed tantum pro-  
missionem peculiaris cujusdam protectionis, qualis debetur popu-  
lo peculiari, quomodo Deus etiam malorum fuit Deus, modò essent de  
populo Israel lib. 2. de Sac. cap. 17. Resp. Peculiarem protectione  
temporalem istis verbis comprehendi haud inviti fatemur. Quid  
a. hoc ad rem? Anne propterea de sola loquuntur temporali pro-  
tectione? ἀπὸ τῶς & non mente valens ita colligit, cum ab inclu-  
sione unius ad exclusionem alterius nulla sit consequentia. Quin-  
potius ubi peculiaris illa & gratiosa Dei reperitur protectio, ibi  
gratiosa & specialis Dei inhabitatio abesse nequit, ubi hæc, ibi  
regeneratio & per Christum facta peccatorum remissio. Nam  
cor infidele Spiritus sanctus non inhabitat, iniquitatesq; divisionem  
faciunt inter Deum & homines, ac peccata avertunt faciem ejus, Esa. 59.  
v. 2.*



v.2. Et Christus ipse promissionem istam dona quoq; spiritualia polliceri ostendit, quando ex dicto *Exod. 3. v. 6. Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob*, concludit Abrahamum, Isaacum, Jacobum, non ut bruta interiisse, sed adhuc post mortem in æterna vita vivere, *Matth. 22. v. 32.* De malis autem populo Dei permixtis, quæ objicit Bellarminus, nullius sunt momenti. Nam Dei populus dictus quid em fuit universus Israeliticus cœtus, verum tantum *συνδοχικῶς* nomine partis pro toto, quemadmodum Ecclesia vocatur domus Dei, cives cœlestis Hierosolymæ, gens sancta, nempe propter potio rem partem, à qua fieri debet denominatio, non tamen statim Deus illorum dicitur Deus, qui quovis modo istum sibi titulum arripiunt.

Ad hoc ibidem infert Jesuita *Christum ex verbis Mosaiis: Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac &c. nihil aliud colligere, quam resurrectionem, quæ bonis & malis communis erit.* Resp. Est petitio principii. Probetur Christum tantum generalem tam bonorum quam malorum resurrectionem voluisse colligere, & non simul eam quæ solis piis convenit ad vitam æternam. Nam hi verè resurgere dicuntur, unde & resurrectio vitæ, altera autem quæ mali resurgent, resurrectio judicii nominatur, *Iohan. 5. v. 29.* Qui enim non in Domino placidè obeunt, & ex hac miseriarum valle descendunt, sed in peccatis spiritualiter emortui cum anima & corpore penitus intereunt, hi propriè in Scripturis vivere non dicuntur.

Pergit instare Bellarminus: *Verba ista non tam Dei promissionem quam obligationem populi sonare, ut sit sensus: Non habebitis alium Deum quam me.* Resp. Subordinata non pugnant. Optimè enim simul consistere possunt, imò se invicem tanquam relata ponunt Dei promissio & populi obligatio. Etenim non nudè sibi homines obligatos esse Deus voluit, sed cum certis promissionibus, ut si pacta servarent, DEUM haberent propitium, conscientiam bonam, peccatorum remissionem, & tandem vitam æternam.

S. 4. Deinde quodcunq; annexam habet concionem Evangelicam, illud non potest non conferre gratiam divinam. Evangelium enim est *ἰσχυρὸς Θεός, virtus Dei in salutem omni credenti, Rom. 1. v. 16.* At circumcisio habet Evangelium seu concionem Evangelicam, nempe promissionem illam: *Ero Deus tuus & seminis tui*

II.

III.

Secundum  
argumentū



post te, quæ præcipua circumcissionis pars fuit, videlicet verbum, quod conjunctum cum elemento constituebat Sacramentum. Ergò Circumcisio non potuit non esse medium salutare ad conferendam gratiam & vitam æternam.

Bellarmini

κρησφύδα

I.

Contra hoc Bellarminus invenit quod regerat, nempe Circumcissioni non fuisse additam promissionem de remissione peccatorum, quia Abraham cui primò imperata est Circumcisio, justissimus fuit ante susceptionem. Resp. Assertio hæc manifestè contrariatur multis Scripturæ dictis. Quotidie enim etiam piis & justis pro peccatorum venia orandum esse vult Propheta David *Psal. 32. v. 2.* Et Salvator ipse *Matth. 6. v. 12.* Cæterum Circumcissionis Sacramentum gratiam & remissionem peccatorum non tantum conferre, sed etiam collatam confirmare debuit. Licet igitur Abrahamo non de novo gratiam & remissionem peccatorum contulerit, tamen eandem in illo confirmavit & obsignavit, ut ita & hoc respectu Circumcisio sit medium conferens bona spiritualia, sit *signaculum justitiæ fidei*, *Rom. 4. v. 11.* quæ in peccatorum remissione consistit. Declaremus rem simili: Sicut Baptismus etiam iis adhibitus, qui ante susceptionem verâ fide in Christum peccatorum veniam acceperunt, dicitur salutare regenerationis lavacrum, nec inde colligere licet, Baptismo non fuisse additam promissionem de peccatorum remissione; ita quoq; Circumcisio in adulto & credenti Abrahamo non cessavit esse fidei signaculum, remissionem peccatorum applicans & obsignans.

2.

Secundo objicit Bellarminus: *In Circumcissionis institutione tantummodo fit mentio promissionis terrenæ de multiplicatione seminis & possessione terræ Canaan. Ergò Circumcissioni non fuit annexa promissio de remissione peccatorum & vita æterna.* Resp. ab inclusione unius ad exclusionem alterius iterum vitiosè procedit Bellarmini argumentû. Nam quamvis illa promissio de multiplicatione seminis, etiam de pluribus istis populis juxta carnem ab Abrahamo ortis loquatur, tamen simul consolationis plenissimam includit promissionem, de Christo itidem ex semine Abrahamæ secundum carnem nascituro, in quo omnes gentes erant benedicendæ *Genes. 12. v. 3.* Quod testatur Apostolus *Galat. 3. v. 16.* *Abrahæ dictæ sunt promissiones & semini eius. Non dicit (addit Apostolus) Et semini ejus, quasi in multis sed quasi in uno; Et semini tuo quod est Christus.* Quando igitur Dominus Abrahamo & ejus posteris possessionem terræ Canaan promittebat,



bat, unâ vitæ cœlestis hæreditatem pollicebatur, quam Circumcisionis sculpturâ velut sigillo in fidelibus obsignabat. Porrò consistit illa Dei promissio tanquam verbum elemento additum potissimum in istis vocibus: *Ero Deus tuus & seminus tui post te.* Hiscè enim verè circumcisis & credentibus in Christum spiritualem gratiam promitti, satis luculenter est demonstratum.

§. 5. Tertiò. In quocunq; consistit pactum & fœdus Dei æternum, illud cum vera fide & gratia Dei est conjunctum. Deus n. cum infideli nec pacisci, multò minus æternum fœdus erigere quit. Jam verò in circumcisione consistit pactum & fœdus Dei æternum, *Genes. 17. v. 13. Et erit pactum meum in carne vestra in fœdus æternum.* Ergò Circumcisio est efficax regenerationis *ἡ γεννησις*, per quod fides accenditur, & gratia Dei circumcisis applicatur.

*Tertiū argumentū.*

§. 6. IV. Rectè quoq; *Beda in cap. 2. Lucæ* ex comminatione contentui hujus Sacramenti opposita argumentum petit. Nam *Genes. 17. v. 14.* dicitur: *Masculus cujus præputii caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo.* Jam si è sanctorum cœtu & spe vitæ æternæ transgressores & contemtores Circumcisionis arcantur & relegantur, sequitur Circumcisionem esse ejusmodi mediū, per quod Circumcisi Sanctorum consortium & æternam beatitudinem sibi acquirunt. Confirmatur hoc ex analogia Baptismi. Qui enim in N. T. dicebat: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non potest introire in regnum Dei, Iohan. 3. v. 5.* Ipse olim dixit in Veteri: *Masculus cujus præputii caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo.* Quemadmodū igitur ex illa cōminatione rectè cōcluditur, Baptismum esse lavacrum regenerationis & salutis mediū, ita quoq; eadē colligendi vis locū inveniet in Circumcisione.

*Quartum argumentū*

Excipit ad hoc argumentum Bellarminus, *Comminationem illam Circumcisioni additam, quod anima masculi, cujus præputii caro non fuerit circumcisa, delenda sit de populo &c. De adultis solū intelligendam esse.* Resp. Quamvis illa comminatio potissimum ad adultos spectet, siquidem in Hebr. reperitur vox *חָמַד* quæ significat negligere, disrumpere, violare, contemnere, non tamen propterea cōfestim excluduntur infantes, præsertim ii, qui ex apostatis & religionis Israeliticæ ac Circumcisionis contemptoribus nati sunt. Hi namq; quoniam à populo Dei jam sunt abscissi, etiam liberi & infantes eorum liberis infidelium Ethnicorum facti sunt similes. Et

*Bellarmini cavillatio.*



In tali casu locum habet Augustini sententia lib. 16. de C. D. cap. 27.  
Quia circumcisio signum regenerationis fuit, non immerito parvulum pro-  
pter Originale peccatum, quo primum Dei dissipatum est testamentum,  
regeneratio disperderet, nisi regeneratio liberaret. Intelligenda enim sunt Dei  
verba, ac si dictum sit: qui non fuerit regeneratus, interibit anima illa de  
gente ejus.

Quintum  
argumentū

§. 7. V. Firmum etiam argumentum contra Pontificios de-  
sumitur ex Deut. 30. v. 6. *Circumcidet Dominus Deus tuus cor tuum, cor  
tuum & cor seminis tui, ut diligas Dominum Deum tuum in toto corde tuo,  
& in tota anima tua ut possis vivere.* Ubi seminis voce non tantum  
adulti, sed imprimis infantes intelliguntur, quemadmodum ex cir-  
cumcisionis institutione patet. Jam a. infantum cor nullo alio me-  
dio quàm hoc Circumcisionis Sacramento circumcidi potuit,  
quod Circumcisionis nomen clarè innuit. Ergò Circumcisio fuit  
ordinarium medium ad conferendam gratiam & salutem.

Sextum  
argumentū

§. 8. VI. Si circumcisio non fuisset tale medium, per quod  
Israelitæ regenerati & gratiæ divinæ facti sunt participes, non po-  
tuissent sanè sancti Dei homines inde tam efficaces & firmas con-  
solationes contra omnis generis tentationes & formidabilissima  
pericula petere, quod tamen Davidem, & Jonathanem fecisse le-  
gimus, 1 Sam. 14. v. 6. & cap. 17. v. 26.

Septimum  
argumentū.

§. 9. VII. Et si præputiū cordis i. e. peccatum per Circumci-  
sionis Sacramentum ab Israelitis non fuisset abscissum, nec fides &  
gratia iis collata, non posset de illis dici, quod fecerint sibi rursus  
præputia. Quomodo enim cordis Circumcisionem i. e. Spir. sancti  
gratiam abjicere potuissent, quam nunquam fuissent adepti.  
Quorum tamen posterius expressè affirmatur in Scriptura, 1 Mac. 2.  
v. 16. Rom. 2. v. 25.

Octavum  
argumentū

§. 10. VIII. Hinc accedunt testimonia alia N. T. Paulus Cir-  
cumcisionē describit, quod sit  $\sigma\phi\rho\alpha\gamma\iota\varsigma \ \& \ \delta\iota\kappa\alpha\iota\sigma\acute{\upsilon}\nu\eta\varsigma \ \& \ \pi\iota\varsigma\epsilon\omega\varsigma$   
signaculum justitiæ fidei, Rom. 4. v. 11. Ergo Circumcisio infantibus  
adhibita, non potuit non esse signaculum fidei, sed omninò eis  
contulit gratiam, cum alias sua natura omnes fuerint filii iræ,  
Ephef. 2. v. 3 neq; per auditum verbi fidem haurire potuerint.

Nonum ar-  
gumentum.

§. 11. IX. Idem Apostolus comparisonem instituit, inter  
Baptismum & Circumcisionem, & Baptismum vocat  $\pi\rho\epsilon\beta\upsilon\tau\iota\sigma\mu\acute{o}\nu$   
 $\& \ \chi\rho\iota\sigma\tau\iota\sigma\mu\acute{o}\nu$  quod per illum exuatur corpus peccati, Coloss. 2. v. 11.  
A



At quomodo inter hæc duo Sacramenta Apostoli constaret comparatio, nisi in ipsa Circumcisione corpus peccatis fuisset exutum.

Excipit Jesuitarum Antesignanus, *Paulum Coloss 2. non tribuere eundem effectum Baptismo & Circumcisioni, sed Circumcisionem figuram Baptismi constituere. Iam verò figuræ & rei figuratæ, non potest eadem esse vis eadem efficacia.* Resp. Omnino eundem effectum Circumcisioni assignat Apostolus quem Baptismo tribuit, nimirum quemadmodum nunc in N. T. per Baptismum peccati corpus seu veterem Adam deponimus, novumq; hominem induimus, Ita in V. T. per Sacramentum Circumcisionis peccatum sublatum, & tanquam per fidei signaculum gratiam & peccatorum remissionem collatam fuisse. Nec ulla est ratio, cur figuræ non eadem possit esse efficacia, quæ est ipsius figuratæ, præsertim quando utrobique eadem reperitur annexa efficientis causæ promissio. Idem namq; Deus, idem Mediator, eadem gratia remissionis peccatorum, eadem fides, *Iesus Christus heri, hodie ipse & in secula, Hebr. 13. v. 8. Agnus mactatus ab origine mundi, Apoc. 13. v. 8. Vid. etiam Act. 15. v. 11.*

Decimum  
argumentum

§. 12. X. Quando de abrogatione Circumcisionis in Synodo Apostolica Hierosolymis consultatio instituebatur, Act. 15. Apostolus Petrus evicit Circumcisione amplius opus non esse, quod etiam absq; illa Deus jam in novo Testamento fide per Baptismum corda hominum purificet. Vult itaq; sic colligere D. Petrus: Si circumcisio imponenda esset gentibus, id eam ob causam solummodo fieri deberet, ut per eam corda fide purgarentur. Atqui Deus sine Circumcisione nunc corda hominum Ethnicorum purificat. Ergo circumcisione nunc amplius non est opus. Quicumq; igitur effectum illum, purgare corda fide, Circumcisioni detrahunt, Petri quoque argumentum proferunt & destruunt. Ibidem subjicit Apostolus: *Credimus per gratiam Domini nostri Iesu Christi, καὶ ὅτι ἡμεῖς ἵσθαι ὅτι ἡμεῖς ἵσθαι ἡμεῖς ἵσθαι eodem modo salvantur, quemadmodum & illi. Modus verò quo infantes nostri salvantur, alius non est, quam per Baptismum, Iohan, 3. v. 5. 1. Pet. 3. v. 21.* Manet ergo infantes Judæorum in V. T. per Circumcisionem purgatos & salvatos fuisse.

§. 13. XI. Nec leve argumentum suppeditat locus *Rom. 2. v. 28. Undecimum argumentum*  
*Non qui in manifesto Iudæus est, sed qui in abscondito, neq; quæ in manifesto in carne circumcisio est, sed circumcisio cordis in Spiritu i. e.*  
Is



Is est verus Judæus, qui cor circumcisum obtinet, & illa est vera Circumcisio, quæ spiritu fit in corde. Jam infantes Circumcisi ex semine Abrahamæ fuerunt veri Judæi, eorumq; Circumcisio fuit vera Circumcisio, non enim actuali impœnitentia & incredulitate obicem posuerunt Spiritui sancto. Ergo infantes in V. T. spiritu sunt circumcisi, h. e. regenerati & renovati, aliàs in conspectu Dei non solum ab Ethnicis non distarent, verum etiam illis deteriores essent, utpote cordis præputium carnis circumcissione occultantes.

Duodecimū  
argumentū

§. 14. XII. Illa deniq; Circumcisio salutaris & vera est, cujus laus non ex hominibus, sed ex Deo, Rom. 2. v. ult. hoc est, quam Deus ipse in corde operatur & perficit, non quam extrinsecus efficiunt homines. Atqui talis fuit infantum in V. Test. Circumcisio, asserente Scripturâ: Circumcidet Dominus cor seminis tui, Deut. 10. v. 6. Ergo Circumcisio infantum in V. T. fuit salutaris & vera, ac cum spirituali cordis circumcissione connexa. Hæc sunt præcipua nostra fundamenta, ex quibus satis constat, Sacramentis V. T. & imprimis Circumcissioni, eandem fuisse efficaciam, quam nunc obtinent Sacramenta N. Test. & inter ea Baptismus, ὅτι ἐστὶν δὲ θεῶν.

### III. USUS CONTRA MANICHÆOS Circumcisionis Sacramentum ut malum damnantes.

§. 1. Vidimus unum atq; alterum falsum circa hanc materiam dogma, quibus subjungimus alium horrendum Manichæorum furor, qui Circumcisionem tanquam rem inutilem, malum & obscœnum characterem criminati sunt. At quia Deus ipse hujus Ceremoniæ & fœderis autorem se profitetur, dum ait Genes. 17. Ego constituam fœdus meum &c. Is autem ut summum est Ens, ita quoq; summum sit bonum & ἀγαθόν, ὁ ἄριστος, unus enim est bonus, Deus, Matth. 19. v. 17. Marc. 10. v. 18. non poterit ejus hæc institutio esse mala, cum à bono non nisi bonum proficiscatur. Accedit quod Christus ipse in hodierno nostro evangelio contra omnes hominū perversorum cavillationes hanc Ceremoniam & notam in carne suscepit, seq; ordinationi divinæ subjecerit.

§. 2. Nec obstat, quod id ressecandum fuerit, quod Deus antè creavit. Nam cum propter peccatum totum corpus fuerit corruptioni



prioni obnoxium, cur non etiam una corporis particula vulne-  
rationi? Arque istud divinæ sapientiæ est proprium, quia quod  
stultum est Dei, sapientius est hominibus, & quod infirmum est  
Dei, fortius est hominibus, 1. Corinth. 1. vers. 25. Optime igitur  
August. lib. 5. cont. Faustum huc accommodat dictum Apostoli-  
cum: Mundis, inquit, omnia munda, Tit. 1. Immundis autem & in-  
fidelibus nihil est mundum, sed polluta sunt eorum & mens & con-  
scientia.

§ 3. Objiciunt: Si non fuisset mala, non fuisset abrogata. *Manichæo*  
Resp. Non propterea fuit abrogata circumcisio, quod res mala *rum obje-*  
fuerit, sed quod ad certum tantum tempus durare debuit, nempe *ctio.*  
ad novum usque Testamentum, & quamdiu staret Politica Ju-  
daica, quod ex istis verbis aliquoties cap. 17. Genes. ubi circum-  
cisio mandata fuit, (Custodietis pactum meum in generationibus  
vestris) reiteratis constat. Generationibus ergo & familiis istis  
Israelitarum sublatis, veteris quoque Ceremoniæ usus amplius *Cur circū-*  
nullus, sed novis signaculis & Sacramentis opus fuit. Deinde *cisio abro-*  
Christum ex femine Abrahæ proditurum præfigurabat, nato er- *gata.*  
gò Christo, ejusque passione absoluta, valorem etiam omnem  
amisit. Tandem populum Judaicum ab Ethnicis distinguere de-  
buit. Postquam autem Christus medium maceræ parietem solvens,  
utrumque in unum novum hominem in semetipso condidit, pacem  
fecit, & ambos in uno corpore Deo per crucem inimicitias in semet-  
ipso interficiendo reconciliavit, Eph. 2. distinctionis quoque nota  
seu circumcisio tollenda erat. Rectissime iccirco rursus Augu-  
stin. Epist. 203. scribit: Signacula veteris Testamenti non damnata  
sunt, sed succedentibus oportuniore decesserunt. Nam sicut cir-  
cumcisionem abstulit Domini primus adventus, sic baptismum au-  
feret secundus adventus. Et Ambros. lib. 1. de Patriarch. Abra-  
ham cap. 4. Signum destruxit, veritatem induxit. Quia postquam  
venit, quod perfectum est, quod ex parte erat, evacuatum est, & ideo  
cessavit circumcisio partis, ubi refulsit circumcisio universitatis.

XX.  
IV. USUS CONTRA NOMINIS JESU  
Contemptores,

E

J. I. Ve-



§. 1. Veneratione cultuque divino dignissimum esse nomen JESU, non nisi planè *negat*. Illud enim non ex voluntate humana, sed mandato divino Christo est impositum. Neque tantum ex voluntate imponentis nomen illud multum valet, verum etiam ratione significationis, quam exprimit Angelus: Ipse enim salvum faciet populum suum. Qui significationis effectus non sanè vulgaris est, sed omnium qui unquam divinis nominibus adjuncti fuerunt, longè saluberrimus & efficacissimus, fore nempe ipsum SALVATOREM generis humani. Quo quid dulcius, quid acceptius esse potest, quam habere nos ejusmodi Salvatorem, qui totum redemptionis opus in se suscepit, & Deo Patri sufficientissimum persolvendo nos ab ira, maledictione divina & æterna damnatione liberavit. *Verè enim languores nostros ipse tulit, & dolores nostros portavit. Esai. 53. versic. 4. Ipse vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra; Castigatio pro pace nostra super eum, & livor eius nobis fuit sanatio, vers. 5.* Pii itaque Christiani hujus maximi beneficii, redemptionis videlicet suæ memores, dulcissimum nomen JESU debitâ affectione amant, colunt, venerantur, & illo audito vel caput aperiunt, vel genua flectunt, juxta præceptum Apostoli *Philip. 2. v. 10.* & morem orandi in Ecclesia semper usitatum, *Dan. 6. vers. 10. Matth. 17. versic. 14. Actor. 9. vers. 40.*

*Mugeros  
Sive Calvis  
nificia.*

§. 2. Verum enim verò inveniuntur, prohi dolor, hodie non pauci, in primis Calvini castra sequentes, qui honorem hunc Christo debitum minimè reddunt, sed gravitate virili indignum putant, si ad mentionem divinæ majestatis, aut nominis JESU vel poplites inflectere vel pileos capitibus detrahere debeant: Imò alios facientes falsè rident & supersticiosos proclamant, quod D E V M ejusmodi externa reverentia delectari opinentur.

*Responso ad  
1. cavillum.*

§. 3. At numquid etiam tibi Abraham supersticiosus est, qui audito nomine Dei super faciem suam cecidisse legitur, *Genes. 17 v. 3.* vel Magi ab Oriente, qui *adorarunt IESVM* *Matt. 2. v. 11.* Numquid & Apostolus supersticiosus dici debet, qui *1. Corinth. 11. versic. 4.* ejusmodi præscribit regulam, ut *Omnia vir aperto capite oret, ni caput omnium nostrum, quod est Christus, de hoc*



dehonestare velit. Item quando *Philip. 2. vers. 10.* dicit, quod nomen Iesu sit nomen super omne nomen, & quod in illo omne genu caelestium, & terrestrium & infernorum flectendum sit, & ut omnis lingua confiteatur, quod Dominus sit Iesus Christus ad gloriam Dei patris. Jam si omne genu in nomine Iesu sese flectere debet, cur non caput quoque nostrum ad illud aperiremus? Nam & sic confitemur, Jesum Christum esse Dominum ad gloriam Dei Patris, & lucem nostram facimus lucere coram hominibus, ut opera nostra videntes glorificet patrem, qui est in caelis, *Matth. 5. v. 16.*

Etiamsi ergo Deus scrutatur cor & probat renes, *Ierem. 17. vers. 10.* & gemitus quoque precantium exaudit, *Pf. 102. v. 21.* sicque externos gestus principaliter non attendit, quia tamen corpori cum animo maximus est consensus, fieri aliter non potest, ut si cultus aliquis ex vero & sincero corde proficiscatur, quin etiam externis gestibus is sese exerat. Et tales gestus Deo placere dubium est nullum, modo absque simulatione fiant & hypocrisi:

*S. 4.* Sed objiciunt, Rem ipsam quidem suo modo honorandam, non autem sonum seu syllabas.

*Resp. ad 2.*

*Resp.* Veneramur in nomine JESU non nudum sonum & syllabas, tanquam aliquid a re separatum & diversum, sed & simul cum sono & syllabis rem ipsam, quæ cum ista voce in pronuntiatione artissime coheret. Non enim hujus sanctissimi nominis sonus est inanis & vacuus crepitus, nec ita nobis sonat sicut pagano aut Ethnico, sed simul rem ipsam infert, & maximum a Salvatore in nos collatum beneficium, nobis in memoriam revocat. Econtra adversarii, ne videantur nomini exhibere (ut illi loquuntur) superstiosè honorem rei debitum præmittunt impiè, sicque Deo Patri reluctantur, qui nomen istud JESU Filio indidit, ut in eo omne genu flecteretur, *Philip. 2.* ac Diabolo rem acceptissimam faciunt, qui illud nomen miro modo fugit & odit, & quando manifestis Scripturæ dictis amplius non potest, subdolè & callidè sub Ceremoniarum specie oppugnat.



V. USUS CONTRA PHOTINIA-  
NOS, Christum salutis fontem  
negantes.

§. 1. Ex fundamentis supra positis non minus accuratè  
quàm verè refutari quoque possunt Photiniani, qui impudenti  
ore Christum Jesum esse autorem omnis boni, adeoque primam  
causam & fontem nostræ salutis negant, proinde nec in eo, nisi  
tanquam in causa instrumentali, esse nobis confidendum vo-  
lunt. Videatur *Socinus contra Bellarmin. cap. 4. class. 2. Argum.  
pag. 160. Item Ostorodus contra Tradelium. pag. 156.*

Christus  
unicus salu-  
tis nostræ  
autor.

§. 2. Verum impiè admodum negatur, quod Scriptura  
expressè asserit. Etiam si Christus à Patre sit missus, tamen  
propter *ὁμοουσίαν* secundum divinam naturam æquè salutis nostræ  
fons & prima causa est, ac ipse pater. Videamus ergò dicta  
*Actor. 3. v. 5. Christus vocatur ἀρχηγός τῆς ζωῆς Princeps & autor  
vitæ, Hebr. 2. v. 10. ἀρχηγός τῆς σωτηρίας, Princeps & autor salutis.*  
Sic *Actor. 4. vers. 12. astruit Petrus, non esse in alio salutem, quam  
in Christo Iesu. Hinc Christus dat fontem aquæ salientis in vitam  
æternam, Iohan. 4. v. 14. Et Paulus 1. Cor. 3. v. 11. Christum ap-  
pellat Fundamentum præter quod aliud poni nequit. Et quid aliud est  
quod ipse divino decreto ac mandato in nostro Evangelio  
vocatur JESUS seu SERVATOR? Quid hisce cla-  
rius? Quibus adde quæ supra in hanc sententiam adduximus,  
quæst. 8. §. 3. Unde argumentamur: Quicumque est Salvator,  
princeps, autor & fundamentum salutis nostræ, ut in ipso so-  
lo sit salus, is est fons & prima nostræ salutis causa. Atqui Chri-  
stus est Salvator, Princeps, autor & fundamentum salutis nostræ,  
ut in ipso solo sit salus. Ergo Christus est fons & prima salutis  
nostræ causa, & per consequens in eo sic nostram debemus ponere  
fiduciam, eumque adorare & invocare.*

Christus ut  
salutis au-  
tor à piis  
invocatur.

§. 3. Huc spectant exempla Christianorum. Non enim  
urgebo exemplum leprosi *Luc. 17. v. 16. quod tamen valde em-  
phaticum est, siquidem ex vera fide in genua procidens Christum  
adora-*



adorabat, quid respondebunt Photiniani ad factum Apostolorum  
*Luc. 17. vers. 5. & Patris Lunatici, Matth. 9. v. 24.* qui fidei in-  
crementum humiliter à suo Domino expetunt. Annon fides  
Dei donum est, ac salutis consequendæ unicum medium, quod  
non nisi à causa principali proficiscitur? Confer loca alia *Matth. 14.*  
*vers. 23. Luc. 24. vers. 52. Actor. 7. vers. 59. cap. 9. vers. 14. Phil. 2.*  
*vers. 9. Hebr. 1. v. 6.*

## X XII.

### VI. USUS CONTRA CALVINIANOS, Cultum adorationis carni Christi detrahentes.

§. 1. Hac autem Photinianorum impietate non multo  
melior est Calvinianorum, de cultu adorationis respectu carnis  
Christi sententia, dum eã vel nõ adoratione Dei, sed quadam in-  
feriori quæ humanæ naturæ conveniat, adorandam scribunt, vide  
*Zanch. lib. 2. de Incarn. vel prorsus non adorandam esse audacter*  
*pronunciant. Ita enim Danæus non sine blasphemia in Exam. libri*  
*de duab. natur. D. Chemnit. pag. 415. Adoratio, inquit, non in*  
*ipsam carnem Christi, etiam in hypostasi Filii Dei manentem, diri-*  
*genda est. Et iterum. Qui ad ipsam Christi carnem suam ado-*  
*rationem aut invocationem dirigit, is ex ipsius Dei ore est male-*  
*dictus.*

§. 2. Sed abundant isti homines suo sensu. Nos vero ver-  
bo Dei innixi statuimus & firmiter credimus, Christum Jesum  
propter arctissimam duarum naturarum in una persona unionē,  
ac divinorum in hominū realem communicationē, etiam secundū  
carnem adorandum esse. Quæ assertio confirmatur 1. Prophe-  
tarum Vaticinio, *Psal. 72. v. 9. Esa. 49. vers. 3. Dan. 7. vers. 14.*  
2. Dei mandato, *Psal. 45. v. 12. Psal. 97. v. 7. Hebr. 1. v. 6. Heb. 4.*  
*v. 15.* 3. Piorum exemplis, quorum plura jam antea adduxi-  
mus. Huc respiciens Ephesina Synodus, fulmen anathematis  
in omnes contrarium sentientes vibravit his conceptum verbis:  
*Si quis dicit non adorandam Domini nostri carnem ut hominis &*



non adorandam ut Domini Dei carnem, hunc *ἀποθεωτισμένη* sancta & Catholica Ecclesia. Concludo igitur hanc quæstionem cum D. Augustino: Ego Dominicam carnem, imò perfectam in Christo humanitatem propterea adoro, quod à divinitate suscepta atq; Deitati unita est, non ut alium atq; alium, sed unum eundemq; Deum & hominem Dei Filium confiteor.

XXIII.

## CAPIT QVARTUM.

*Ἐπίλυσις* Abusus Pontificiorum I. de Statu infantum incircumcisorum.

§. 1. Hætenus usum hujus doctrinæ contra hæreticos ostendimus, nunc eorundem abusus in hoc negotio monstrandus. Vbi sese audacter ingerunt Pontificii Doctores. Hi enim quando circumcisionem in V. T. & in N. Test. Baptismū esse medium gratiæ divinæ & æternæ salutis audiunt, statim concludunt, infantes omnes non circumcisos sive non baptisatos sine ullo discrimine damnari. Ita namque scribit Lombard. lib. 4. dist. 1. Si queritur de parvulis, qui ante diem octavum moriebantur, an æquam fiebat circumcisio ex lege, utrum salvarentur vel non? Idem potest responderi, quod sentitur de parvulis ante Baptismum defunctis, quos perire constat. Dominicus à Soto lib. 2. de natura & gratia cap. 10. In Ecclesia Romana constitutissimum est, nullum parvulum absq; Baptismo in re (quam in voto habere non potest) intrare regnum cælorum. Et Bellar. ipse lib. 6. de amiss. gratia cap. 2. statim in initio: Fide Catholica, inquit, tenendum est, parvulos sine Baptismo decedentes, absolutè esse damnatos, & non solà cælesti sed etiã naturali beatitudine perpetuò carituros.

¶ Argum.  
contra Pontificios.

§. 2. At nimis durum & sanguineum esse illud Papicolarū pronunciatum, multis argumentis probari posset, nos verò brevitate studebimus. Et primò quidem circumcisionem nō fuisse adeo absolutè necessarium salutis medium, ut non extraordinariè & in casu defectus infans in Ecclesia natus eandem consequi potuerit, inde constat, quia Deus non est absolutè & simpliciter alligatus ad Sacramenta, quasi non etiã extraordinariè in infantibus non circumcisis fidem accendere, & per fidem eos æternū salvos facere



crede possit. Non enim quod mirum est in oculis hominum, etiam mirum est in oculis Dei, Zach. 8. v. 6. Nam ipse potens est abundanter plus facere quam petimus aut intelligimus, Eph. 3. v. 20. Hujus rei testimonium habemus in foemellis in V. T. in quibus Deus, quia circumcisionis capaces non erant, immensa sua potestate & clementia immediate sine circumcisionis Sacramento fidem excitavit, & aeternae salutis eas cohaeredes fecit. Ergo quoque in infantibus masculis, qui a circumcisionis Sacramento, non contemptu religionis sed articulo necessitatis exclusi sunt, Deus idem operari potuit, imo effecit, cum nulla afferri queat ratio cur noluerit.

2. Argum.

§ 3. Secundò. Ad quoscunque pertinet foederalis promissio, illi sunt in foedere & gratia Dei. Atqui ad infantes in V. T. qui quodam necessitatis casu circumcisionem non sunt adepti, pertinet foederalis promissio: *Ero Deus tuus & SEMINIS tui post te*, Genes. 17. v. 7. nisi illos semen Abrahamae esse negare velimus, quod absurdum. Ergo infantes illi sunt in foedere & gratia Dei. Accedit quod Christus ipse de Iudaeorum infantibus indiscretè pronunciet *Matth. 18. v. 14. Non est voluntas Patris vestri, ut pereat unus de pusillis istis. Et Matt. 19 v. 14. Sinite parvulos ad me venire, talium enim est regnum caelorum.* Et licet vocabulum *παιδιον* quod hic usurpat Matthaeus, per se satis fuisset ad hoc probandum, tamè Evangelista Lucas eandem recensens historiam, multò lucidiori & significantiori vocabulo utitur, dicens: *πρὸς τὰ βρέφη*, cap. 18. v. 15. i. e. afferebant ei & infantes tenellos, & ab uberibus matrum adhuc pendentibus. Quod idem indicat vocula *πρὸς τὰ βρέφη* apportabant, in ulnis sc. propter infantiae teneritatem, quibus etià Christus *ἐναγκαλιζόμενος* imposuit manus, & benedixit eis, *Marc. 10. vers. 16.* Inter hos autem aliquot incircumcisos fuisse, admodum probabile est, cum omnibus octavus à nativitate dies expectandus erat.

3. Argum.

§ 4. Tertio. Quibuscunque non fuit lata lex circumcisionis, iis non potest imputari ejusdem transgressio. *Vbi enim non est lex, ibi nec praevicatio*, Rom. 4. versic. 15. Atqui infantibus Israelitarum antè octavum diem è vita ereptis non lata fuit circumcisionis lex. Ergo pro transgressoribus & contemptoribus haberi non possunt. Et per consequens, à salute non fuerunt exclusi.

§. 5. Quat.



4. Argum.

§. 5. Quartò ostendit hoc ipsum ardens piorum parentum lobolem Deo commendatum precatio, imò totius publici cætus parturientes & ventris fructum Deo offerentium, quæ sanè frustranea esse nequit, cum extent firmissimæ & dulcissimæ de illa re promissiones divinæ, *Amen Amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis, Matth. 7. v. 7. & 21. vers. 22. Marc. 11. v. 24. Iob. 14. v. 13. & 26. v. 24. Non est voluntas patris ut pereat unus de pusillis istis, Matth. 18. v. 18. nec eicit foras infantes qui ad ipsum veniunt, seu ipsi etiam per alios offeruntur, Marc. 10. v. 14. Iob. 6. v. 37.* Hoc testatum faciunt puer Centurionis, *Matth. 8.* Filia Jairi *Marc. 5.* Filia mulieris Chananæ, *Matth. 15.* Filius Lunaticus, *Luc. 9.* Filius reguli, *Iob. 4. & c.* qui omnes precibus aliorum fidem & auxilium impetrarunt ac sanati sunt.

5. Argum.

§. 6. Quintò habebant Judæorum infantes & in Ecclesia nati singularem prærogativam præ reliquis gentium liberis, dum illis liber ad Sacramenta & alia Ecclesiæ dona patebat aditus, ut etiam supra diximus. Quod discrimen Apostolus Petrus satis indicat, quando inter filios Testamenti, & qui sunt extra Testamentum distinguit *Act. 3. v. 25.* Et Paulus, quando inter eos qui intus & foris sunt *1. Cor. 5. v. 12.* inter filios sanctos & immundos, *1. Cor. 7. v. 14.* discernit. Hinc argumentamur: Ad quos immediate ex voluntate divina pertinet circumcisionis Sacramentum, illos quoque Deus salvare vult. Atqui ad infantes Judæorum, qui immaturâ morte sunt extincti, pertinebat ex voluntate divina circumcisionis Sacramentum. Ergò illos quoque DEUS salvare vult, & per consequens. Si isto necessitatis casu à mediis ordinariis excludantur, extraordinariè in gratiam recipit, cum Deus ad media non sit alligatus. Neque negari potest, quod in infantibus alia sit ratio, quam in adultis. Hi enim pro contemptoribus haberi possunt, quod sese legi divinæ non submittant & Spiritui sancto obicem ponant. Talis verò contemptus, cum in infantibus non detur, nec pactum Dei irritum fuisse dicantur, utique immediate juxta promissionem fœderalem & extraordinariè participes æternæ salutis facti sunt.

6. Argum.

§. 7. Sextò, Ubi cunque non præcedit culpa, ibi nec in judicio divino locum invenit culpæ pœna, Atqui in infantibus Judæo-



Judæorum non datur culpa nempe contemptus circumcissionis.  
Hoc enim est irritum facere pactum Domini, sicut vox  $\text{רַחֵם}$  in  
Hiphil innuit *Gen. 17. v. 14.* Ergò pœna spretæ circumcissionis  
infantibus quoque non conveniebat, quæ est deleri è populo  
Dei & excludi è regno cœlorum.

§. 8. Tandem pro confirmatione nostræ sententiæ multa pos- 7. Argumēta  
sunt adduci exempla. Quis enim tam impudens, ut Sanctos illos  
Martyres Israëlitarum infantulos damnaret, qui eo  
ipso ferè momento, quo in lucem edebantur, ex mandato Pha-  
raonis interfecti & in flumen projecti fuere *Exod. 1. v. 22?* Quis  
infantes istos, qui tempore peregrinationis populi Judaici inter  
longinquas profectioes & quotidiana itinera per 40. annos  
absq; circumcissione morte abrepti sunt, igni infernali ad judi-  
cariet? Annon potius Moses si mera Sacramenti hujus privatio  
cum præsentissimo æternæ damnationis stipendio conjuncta  
fuisse, populum Judaicum etiam in media peregrinatione su-  
os infantes circumcidere jussisset? Quis non illos Israëlitarum  
parvulos beatos diceret, qui tempore Antiochi miserè ante  
circumcissionem sunt trucidati, 1. *Machab. 1*; ut & illos, qui inter  
pueros Bethlehemicos reperti & ex jussu Herodis sine discre-  
tione crudeliter interfecti fuere *Matth. 2. v. 16.* Et notabile est  
exemplum filioli Davidis ex Bethsabea suscepti. Mortuus ille  
est septimo à nativitate die, & sic antequam circumcideretur,  
illud enim verba videntur innuere *2. Sam. 12. v. 18.* & nihilo-  
minus pater ipsius se ad eum venturum dicit. Hinc talis oritur  
collectio: Ad quemcunq; David se venturum dicit, is non est in  
sede damnationis sed beatitudinis. Ire namq; voluit, non ad  
damnatos in inferno, sed ad beatos in cœlo; Atqui David ad  
filiolum incircumcisum se iturum dicit, Ergò filius ille incir-  
cumcisus est in gaudio & sede beatorum, & per consequens ibidem  
quoq; reperiuntur reliqui Judæorum infantes à circumcissio-  
ne quâdam necessitate exclusi, cum de similibus idem debeat  
esse judicium.

§. 9. Et hæc sunt, quæ contra truculentos Pontificios  
satis luculenter evincunt, Circumcissionem non fuisse Sacra-  
mentum adeò absolutè necessarium, ut ne quidem infantes Ju-  
dæorum à piis parentibus suscepti absq; ea extraordinariè sal-  
vari



*Christiano-  
rum infan-  
tes ante ba-  
ptismum di-  
scedentes  
non da-  
mnanantur.*

vari potuerint, imò salvati sint. Quæ omnia etiam optimè ad  
infantes Christianorum non baptizatos in N. Testamento ap-  
plicari possunt. Si enim infantes populi Judaici ante circum-  
cisionem mortui non *ἀπολωτός* & sine ulla conditione sunt damna-  
ti, & in locum Circumcisionis successit Baptismus *Coloss. 2. v. 11.*  
neq; Dei gratia modo strictior & angustior sit, quàm fuit in V.  
Testamento, utiq; sequitur, Deum adhuc hodie infantibus sine  
Baptismo in necessitatis casu è vita decedentibus fidem largiri  
& per illam eos æternum salvare. Nam & ad hoc spectat illa  
consolationis plenissima Christi sententia: *Non est voluntas Pa-  
tris, ut pereat unus de pusillis istis Matth. 18. v. 14.* Quod alibi fusius  
est declaratum.

XXIV.

## II. PONTIFICIORUM ABUSUS de perfectione & integritate San- ctorum.

§. 1. Quàm prodigi sint in colligendo Pontificii, præter  
ea, quæ modò contra illos disputavimus, satis indicio esse pos-  
sunt sequentia. Nam cum legunt, Deum in institutione cir-  
cumcisionis Abrahamo injunxisse, ut coram ipso ambularet &  
perfectus esset, hinc inferre non erubescunt, Abrahamum &  
alios viros Sanctos, quibus integritatis & perfectionis laus in  
Scriptura tribuitur, suis viribus sese ad Deum convertisse, & le-  
gi divinæ perfectam ac omnibus numeris absolutam obedien-  
tiam præstitisse.

*Fundamen-  
ta Pontifi-  
cis oppo-  
nenda. I.*

§. 2. Verum enimverò quàm inanis & inutilis hæc sit colle-  
ctio, non difficile est probatu. Nam: I. In genere respondeo  
ibi non factum ipsum describi sed præceptum. A præcepto au-  
tem ad posse, non valet consequentia. Sic *Gen. 15. v. 5. dicitur, Su-  
spice cælum & numera stellas, Esa. 42. v. 18 Surdi audite & cæci respicite  
ad videndum. Ioh. 11. v. 43. Lazare veni foras.* Quæ & similia præce-  
pta non innuunt agendi possibilitatem, sed potius *ἀδυναμίαν*  
quandam, quemadmodum etiam omnia Decalogi mandata in  
statu lapsus seu peccati data.

II.

§. 3. II. Deinde sciendum, perfectionem illam, quæ fide-  
libus in sacris literis assignatur, non tollere naturæ corruptio-  
nem



rem aliaq; inde pullulantia delicta, licet venialia, ad quæ oc-  
cultanda perfectus seu justus misericordiâ & gratiâ divinâ opus  
habet, unde fit, ut nemo perfectus seu justus coram Deo dici  
possit, nisi ratione fundamenti, quod est Christus fide appre-  
hensus, qui nobis est factus *δικαιοσύνη καὶ ἁγιασμός καὶ λύτρωσις.*

*1. Corinth. 1. v. 30.* Ita Noah fuit vir justus & perfectus *Gen. 6. v. 8.*  
nempe Justitiâ imputatâ, non quæ fluit ex propriis meritis,  
quemadmodum expressè scribitur in epistola ad Hebræos *c. 11. v. 7.* *Noah factus est hæres justitiæ ejus, quæ per fidem.* Vel etiam per-  
fectus dicitur aliquis in comparatione vel oppositione ad inju-  
sticiam, sive ad justiciam hypocriticam aliorum. Et his respec-  
tibus etiam Abraham perfectus & integer appellatur, non  
quemadmodum Papicolæ fingunt, quasi omnem legem ex se  
impleverit, & perfectam obedientiâ Deo præstiterit; Sic enim  
solus Christus perfectus & justus erat; sed quia fidei justiciam  
sibi acquisivit, sincerus & ἀνυπόκριτος fuit. Sicut Petrus à piis ef-  
flagitat *1. Petr. 1. v. 22.* *Animas vestras castificantes in obedientia veri-  
tatis per Spiritum eis Φιλαδέλφιαν ἀνυπόκριτον ἐν καθαῆς καρδίας ἀλή-  
θειας ἀγαπήσατε ἐπιπῶς ἔστω ἡ καρ. 2. v. 2. ἡ λογικὸν ἄδολον γάλα ἐπιποθήσατε.*

*S. 4.* Ulterius, Quicumq; est peccator, legem Dei perfe-  
ctè implere nequit. Peccator enim est transgressor legis, & le-  
gis transgressor non potest dici ejusdè executor. Atqui omnis  
homo est peccator etiam sanctissimus quisq; *Gen. 6. v. 5. Job 14. v. 4. & c. 15. v. 14. & 15. Psal. 14 v. 3. Esa. 53. v. 6. & c. 64. v. 6. Rom. 3. v. 12. & c. 5. v. 12.* Si dixerimus nos non habere peccatum, deci-  
pimus nos ipsos & veritas non est in nobis *1. Joh. 1 v. 8.* Ergò nemo ho-  
minum legem Dei implere poterit. Et per conseq. Abraham ob  
id justus & perfectus dicendus non est.

*S. 5.* Deniq; qui peccata confiteri & eorundem remis-  
sionem à Deo expetere debent, legi divinæ non satisfaciunt.  
Jam verò Abraham, David, Paulus & alii Sancti peccata confi-  
teri & eorundem remissionem petere debent à Deo *Psal. 32. v. 5. & c. 6.* Hic enim non est distinctio, sed omnes peccaverunt & egent  
gloriâ Dei *Rom. 3. v. 23.* Conclufit q; Deus omnes sub peccatum, ut omnium  
miseretur *Rom. 11. v. 31. & promissio ex fide Iesu Christi daretur cre-  
dentibus Gal. 3. v. 22.* Ergò Abraham & David aliiq; pii legi divinæ  
satisfacere non possunt. Maximè notatu dignum est exem-  
plum

III,

IV.



plum Apostoli Pauli. Hic enim quamvis dudum regeneratus & justificatus esset, tamen de peccato, seu carnis suæ corruptione conqueritur Rom. 7. v. 14. seqq. Scimus, inquit, quod lex spiritualis est, ego autem carnalis sum, venundatus sub peccato Quod enim operor non cognosco. Non enim quod volo, hoc ago, sed quod odi, illud facio. Et v. 18. Velle adjacet mihi sed bonum perficere non invenio. Et v. 23. Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ & temptivantem me in lege peccati, quod est in membris meis.

*Pij quò respectu Justi & perfecti.*

§. 6. Ex his & similibus invictissimis fundamentis, jam ad oculum demonstratur, perfectionem illam, quam Sanctis nonnunquam assignat Scriptura, non indicare omnimodam legis satisfactionem, sed illud tantum velle: I. Illos tales dici in comparatione ad impios, injustos, idololatrias, & hypocritas. II. Illorum opera ex fide profecta, fieri maximo cum studio, industria & alacritate. III. Carere omni fraude & hypocrisi, nec esse polluta enormibus contra conscientiam criminibus. IV. Tendere ad illam summam perfectionem, quæ erit in vita beata. V. Inq; conspectu Dei, propter imputatam Christi justitiam, qui nobis est factus justitia Jerem. 23. vers. 6. & 1. Corinth. 1. vers. 30. pro integris accipi & haberi Ephes. 1. & 5. Item Hebraeor. 11. Dominus noster Jesus Christus Deus simul & homo hunc suum sermonem in nobis confirmet, & omne opus fidei in virtute compleat, ei sit laus, honor & gratiarum actio, seculis nunquam terminandis.

F I N I S.





94 A 7385

ULB Halle  
002 728 095

3



VD17






1. An die ...  
2. ...  
3. An die ...







EOLOGICA

CISIO.

IS NOSTRI,  
SSIMO NO

U.

21.

*anno*

ISSIMO,

E

ERHARDO

RE THEOLOGO,

nifico, Præceptore

onorando.

*proponit*

RSCHOVV,

RUSSUS.

*torio majori,*

*nis.*

ri nostro.

IMANNI.